CONCILIORVM
SYNOPSIS.

PER

JOHANNEM PRIDEAUX,
haud ita pridèm apud
OXONIENSES S. T.
Professorem REGIUM,
& Posteà
Episcopum Wigornienſem.

Οὐκ ἐν πῷ μέγα τὸ δεῖ·
Ἀλλ' ἐν πῷ δεῖ τὸ μέγα.

OXONIÆ,
Typis *LICHFIELDIANIS*, Academiæ
Typographis. Anno Dom. 1661.

CAP. I.

De *Synodis in genere.*

1. SYnodographia dici potest, quæ conciliorum aliorûmque conventuum Ecclesiasticorum synopsin ita methodicè ponat ob oculos, ut hæsitanti constet quid in quibusvis ex illis sit quærendum, & de inventis quid sit judicandum.

2. Concilium autem est liber, publicus, & Ecclesiasticus conventus Episcoporum præcipuè, aliorúmque Doctorum à diversis Ecclesiis legitimè deputatorum ad examinandas, juxta scripturas, causas Ecclesiasticas, eásque pro concessa potestate communibus suffragiis, sive per Canones in fidei dogmatibus, sive per diatyposes in agendi modis, sive per decreta constitutionésve in disciplina, absq; studio partium determinandas. Itaque

3. Cogenda non sunt 1. Ad lites Papales aut politicas dirimendas, quæ in Dietis, Parliamentis, aut Comitiis aptiùs componantur. 2. Nec Papæ est ista ex officio convocare; multo minus (nisi sit specialiter à convocatis electus) illis præsidere. 3. Nec alii, nisi Episcopi, aut aliàs deputati à suis Ecclesiis, ferant decisivam in illis sententiam. 4. Nec sententia aliqua est admittenda ut ad salutem necessaria, nisi ex verbo Dei robur habeat & authoritatem. 5. Nec rescindi debent publica decreta à privatis, qui per deputatos illis consenserunt: sed acquiescendum est, aut patiendum donec parilis solvat, quæ ligavit authoritas.

4. Talia fuerunt & frequenter occurrunt
1. Judaica.
2. Apostolica.
3. Oecumenica.
4. Controversa.
5. Rejecta.
6. Nationalia.
7. Colloquia.

QUÆST

QUÆSTIONES.

An
1. *Concilia sint institutionis divinæ, & simpliciter necessaria?* N.
2. *Penes unum, aut certos aliquos Prælatos, Principésve, convocandi concilia resideat authoritas?* N.
3. *Cogi debeant Concilia ad res politicas, aut controversias privatas determinandas?* N.
4. *Prælati Ecclesiastici tantùm habeant in iis suffragia decisiva?* Aff.
5. *Sensus scripturæ controversus securiùs à Conciliis quàm à privatis Doctoribus petatur?* Aff.
6. *Consiliorum decreta contra apertum scripturæ textum aliquid valeant?* N.
7. *Decretis Consilii sit acquiescendum, saltem non publice resistendum, donec par dissentientium liberaverit authoritas?*

CAP.

CAP. II.

De Conciliis Judaicis.

1. SUB Conciliorum Judaicorum titulo hic non comprehendimus, vel 1. Sanedrim Gedolah ex LXXII Senatoribus conflatum, *Num.* 11. 24. vel 2. Sanedrim Katon ex 23 sedentium in portis consistorium, *Deut.* 16. 18. vel 3, tres Dijamin in minoribus oppidis litium diribitores conf. *Matth.* 5. 22. quia statà ista fuerunt ad doctrinam, cultum, & disciplinam tàm in republica quàm Ecclesia conservandum; sed conventus solenniores in extraordinariis negotiis ad aliquid statuendum, tollendum, aut reformandum, prout res tulerit.

2. Tales

1. Sichemiticus ſub Joſua & Eleazaro; de 1. Prohibenda cum gentibus ſocietate. 2. de diis alienis exterminandis. 3. de oſſibus Joſephi ſepeliendis in poſſeſſione ſua, ut ipſe præceperat. *Joſ.* 24.

2. Hieroſolymitanus primus ſub Davide, aſſiſtentibus Gad & Nathan; de 1. Levitarum recenſione, 2. Sacerdotum per 24 claſſes partitione, & 3. de ſingulorum officiis 1 *Chron.* 23. quod reſtituit *Ezechias* 2 *Chron.* 29. 25.

3. Carmelitanus ſub Ahab & Elia; ubi 1. Baaliſmus expenditur. 2. Cultus Jehovæ miraculosè ſtabilitur. 2. Baalitæ ultimo conficiuntur ſupplicio. 1. *Reg.* 18.

4. Hieroſolymitanus II. ſub Ezechia; de 1. Templo purgando, 2. Cultu ritè inſtituendo, juxta Davidis præſcriptum, ubi veriſimile eſt aliquando fuiſſe decretum de Salomonis proverbiis tranſcribendis juxta titulum cap. 25. 2 *Chron.* 29.

2. Tales obſervantur fuiſſe conventus.

5. Hieroſolymitanus III. ſub Joſia & Helkia; in quo 1. Repurgatum erat templum. 2. Extirpata idolatria. & 3. Fœdus cum Domino renovatum, juxta librum legis ab Helkia inter templi rudera inventum 2 *Reg.* 33. 2 *Chron.* 34.

6. Hieroſolymitanus IV. ſub Zorobabel & Ezra, cæteriſque Judæorum primoribus è captivitate Babylonica reducibus in quo 1. Diſponuntur ab Ezra præcipuè, prout nunc habentur, libri canonici. 2. Adjiciuntur peſukim, paraſchim, & Hepeakim ad textus diſtinctionem, & lectionem. 3. Maſorah cum Tikkum ſopherim punctis hebraicis, & cæteris apicibus ad linguam

guam ſanctam conſervandam, & poſteris tranſmittendam inchoatur, & promovetur. *Elias Levita præf.* 3. Maſor. *Genebr. Chron. l.* 2. *pag.* 183.

7. Synodus quæ dicitur ſapientum ſub Johanne Hircano 10. de recipiendis Phariſæis & Scribis cum eorum anteſignanis Sammei & Hillel. 2. De damnandis Sadducæis cum ducibus eorum Sadoc & Bajethos, qui eam ob cauſam ad Samaritanos ſe contulerunt, negantes animæ immortalitatem, & quodvis futuri ſeculi præmium. Ubi 3. quibuſdam videtur libros, qui nobis ſunt apocryphi, in canonem fuiſſe relatos per tertium Hebræorum canonem. *Genebrard. Chron. L.* 2. *pag.* 197.

QUÆSTIONES.

1. *Cabala traditio injuncta fuit in Synodo Sichemitica?* D
2. *Ex decreto Concilii, vel sponte parabolæ quædam Salomonis per famulos Hezechiæ erant conquisitæ, & transmissæ posteris?* D.
3. *Masorah, & puncta Hebraica à Concilio 4to Hierosolymitano mutuantur authoritatem?* videtur.
4. *Scripta, quæ habemus Apocrypha, ab aliqua Judeorum Synodo in Canonem fuerunt relata?* Vid. Genebr. Chron. L. 2. p. 190 & 197. Non constat.

An

5. *Sadducæorum Epicurismus, aut Pharisæorum superba, & avara hypocrisis piis, & orthodoxis erat intolerabilior, aut Ecclesiæ pernitiosior?* D.
6. *Syrraxis ista sub Ptolomæo Philometore de Templi Hierosolymitani, & Samaritani antiquitate apud Josephum Antiq. L. 13. c. 6. Synodis Judaicis commode à nonnullis accensetur?* N.
7. *Consultatio potiùs pro re nata, quàm Concilium fuit Herodis ista Sacerdotum & Scribarum convocatio ad judicandum tantùm locum, quo Christus nasceretur Matth. 2.?* Aff.

CAP. III.

De Conciliis Apostolicis.

1. AD Apostolica referantur Concilia quæ vel 1. contra ipsos; vel 2. ab ipsis inveniantur celebrata. Contra ipsos convenerunt (ut Evangelium, si fieri potuisset, quasi in cunis extingueret) 1. *Annas Caiphas, Johannes,* & *Alexander* cum toto genimine pontificiali *Act.* 4. 6. & ordinaverunt ne in nomine Jesu omninò loquerentur, aut docerent *v.* 18. 2. Convenerunt iidem cum Sadducæis, ubi Apostolos ad lanienam destinatos liberavit *Gamaliel* ut flagris tantùm & minis lancinati demitterentur. *Act.* 5. Tertium istorum conciliabulum *Stephanum* ad lapidationem destinavit. *Act.* 6. 12. & 7. 59. Quarto sub *Anania* Conciliabulo *Paulus* erat colophizatus, & inter Pharisæos & Sadducæos penè discerptus. *Act.* 23. 10. Quintum coegisse dicitur *Ananias* junior, ubi *Jacobus* frater Domini cum quibusdam aliis morti adjudicatur. *Joseph. Antiq. L.* 29. *c.* 8.

2 Concilia

2. Concilia ab Apostolis celebrata notantur vulgo.

1. De surrogatione *Matthiæ* in locum *Judæ* proditoris. *Act.* 1.
2. De electione septem Diaconorum. *Act.* 6.
3. De lege ceremoniali non urgenda; cum ex gratia divina per solam fidem in Christum obtineatur justificatio. *Act.* 15. 11. in quo exactum observetur insequentium Conciliorum directorium.
4. De toleratione legalium ad tempus, ut lucrarentur infirmiores tali ἀγωγῇ, & Synagoga mater honestè sepeliretur. *Act.* 21, 18.
5. In quo Symbolum quod dicitur Apostolicum à congregatis Apostolis, unoquoque suum articulum conferente, erat conflatum.
6. Quod obtrusit Ecclesiæ canones 85 sub Apostolorum authoritate, de quibus multifariàm controvertitur.
7. Antiochenum. ubi inter Canones novem, octavum Ethnicorum idola per substitutionem imaginum Christi eliminanda præcipit, reliqui Canones pii sunt Synodali authoritate destituti. Vid. *Bin. Tom.* 1. p. 19. & *Longum. p.* 147.

QUÆSTIONES.

An

1. *Apostoli convenerint in aliqua Synodo ad Symbolum quod habemus conficiendum?* D.
2. *Canones qui circumferuntur Apostolici Apostolis perperam ascribantur?* A.
3. *Constet de ipsorum authore, authoritate, aut numero?* Vid. Joverium.p.2. N.
4. *Epitome constitutionum Apostolicarum in Creta reperta, & à Carolo Kapellico edita alicujus sit momenti?* consule P. Crab. N.
5. *Assumptio B. Virginis in conventu Apostolorum aliquo nitatur fundamento?* N.
6. *Concilium Antiochenum de probandis imaginibus sit prorsus imaginarium?* A.
7. *Plenarium istud* Act. 15. *Apostolorum Concilium sit exemplar omnibus sequentibus Synodis imitandum?* A.

Clemens S. Petri discipulus græce scripsit.

Dionysius exiguus dicitur Latio illos donasse. Longus.

CAP.

CAP. IV.

De *Conciliis Oecumenicis approbatis.*

SECT. I.

De Oecumenicis Græcis sive Orientalibus.

1. OEcumenica seu generalia sunt Concilia, in quibus liberè coeant ex omnibus nationibus Episcopi, & docti ad res Ecclesiasticas juxta Dei verbum, & receptos Ecclesiæ-Canones, pie, prudenter, & ordine, sine partium studio expendendas & determinandas.

2. Talia autem sunt { 1. *Græca* sive Orientalia. 2. *Latina* sive Occidentalia.

3. E Græcis numerantur ut insigniora.
1. Nicænum 1m.
2. Constantinopolitanum 1m.
3. Ephesinum 1m.
4. Chalcedonense.
5. Constantinopolitanum 2m.
6. Constantinopolitanum 3m.
7. Nicenum 2m.

A. D. 325. *Hilar. Socrat. L. 2. c. 29. Baron. An. 359. n. 27. Longus.*

4. Nicænum 1m inde dicitur, quia in Nicæa Bithyniæ (ubi postea, ut hoc eluderent, Conciliabulum coegerunt Ariani) sub Constantini magni auspiciis, tempore Julii 1, & *Silvestri* P.P. erat celebratum. 2. Constabat Episcopis 318. præsidente *Hosio Cordubensi*, assidentibus *Potamone Heraclienſi*, *Paphnutio Thebaide* ob Christi causam monoculis, una cum *Pauli Neocæsarienſi*, qui propter eandem professionem manum ferro candente ambustam complicabat, & *Eustachio Antiocheno*, qui eleganti Imperatorem oratione nomine Concilii excepit, plurimisque aliis doctrina & miraculis inclarescentibus. 3. Canones ipsius 20 tantum (nec satis constat quâ certa fide) ad posterorum manus pervenerunt: forsan hoc evenit *Arionarum* panurgia & potentia. Nonnulli plures obtrudunt per Jesuitas *Turrianum*, & *Pisanum*, haud ita pridem ex cryptis Arabicis traductos, quos nasutiores non magni faciunt. 4. Tria ferunt in Synodo hæc illustri præcipuè condemnata. 1. Hæresis Ariana filii cum patre coæternitatem, & ὁμοούσιον blasphemè oppugnans. 2. *Asianorum* de Paschatis celebratione more Judaico difformis ab Occidentalibus dissensus. 3. Unà cum *Meletianorum* & *Novatianorum* schismaticis rixis, quibus orthodoxis Episcopis perpetuas creabant molestias. 5. In hoc Concilio Imperator libellos Episcoporum invicem se lancinantium, ut inspectione indignos, *Vulcano* consecrat. 6. Philosopho cuidam jactabundo, & Christianismum petulantiùs persequenti, ab illiterati cujusdam congressu, blasphemum

blasphemum os obturatur. 7. In quo etiam, cœlibatum cleri importunè urgentes alios, cœlebs *Paphnutius* ita repulit, ut in fumos abiit illorum incendium durasse dicitur per triennium. Consulatur de eo *Gelasius Cyzicenus*, cùm *Sculteti analys. Socrat. hist. l.1. c.8. Ruff. L.10. c.1. Bell. de Concil. L.1.c.5.& 13. Hist. Tripart. l.1.c.13. Baron. ad an.325. n.13. Calvin. Instit.l.4. c.7. §.1. Camerar. hist. de Concil. Nicen.*

5. *Constantinopolitanum* 1m sub *Gratiano*, &*Theodosio magno*,& *Damaso* 1. ex 150 coaluit Episcopis. 2. In eo quis præsidebat, præter *Cyrillum Hierosolymitanum*, non constat. 3. *Macedonium* Episcopum *Constantinopolitanum* Spiritus Sancti deitatem perfidè impugnantem condemnarunt, & exauctorarunt, unà cum *Maximo Cynico* propter indisciplinationis ejus doctrinam ut habetur *can.* 6. Canones ejus *Caranza* exhibet tantum 7. *Longus* 9, quos omnes præter 1m de fide *Nicæna* recipienda, & hæreticis proscribendis *Romana* respuit Ecclesia. 5. Confessiones omnes, præter illam *Homousiavorum* quam retinent hodierna liturgica sub symboli *Nicæni* nomine, Imperator discerpsit. V. Hanc à *Gregorio Nazianzeno* ad Synodi mentem concinnatam esse creditur. 7. Huic verba [filioque] quæ astruunt S.S. à patre & filio processionem à *Benedicto* 7° addita esse cognoscuntur, quod *Leones* 1 & 3. ipsius antecessores facere non fuerunt ausi. *Longus* ex *Lombard.* 1. *Sent. D.* 11. *Bonavent. & aliis. Theodoret. hist. L.5. c.6. & 10.* A.D.383.

En quantum tribuit Romana Conciliis Oecumenicis.

Addunt pro arbitratu.

6. *Ephesinum* 1m sub *Theodosio* juniore, promovente *Cælestino* 1°, fœliciter coivit. 2. In hoc 200 Episcopi *Nestorium* condemnarunt *Constantinopolitanum*, una cum *Carisio* Sycophantico ipsius presbytero, qui pro duabus in Christo naturis personas obtrusit diversas, adeoque B. Virginem χριστοτοκον tantum non θεοτοκον contendebat nominandam. 3. Præses hic tantùm invenitur *Cyrillus Alexandrinus*, quàm piè & fraternè invitantem ad saniorem sensum superciliosè contempsit *Nestorius*, & pellecto subdolè A.D.434.

dolè in partes *Johanne Antiocheno*, eum una cùm Concilio anathematizante reciprocè anathematizavit. 4. Ad Imperatorem re delata, & penitùs intellecta, abſolvitur cum ſuis *Cyrillus*, & cum obructantibus in exilium pellitur *Neſtorius* in *Oaſin Lybiæ* ſabuloſam, ubi ut *Cain* alter fluctuans huc illuc, & blaſphemans, tandem lingua vermibus corrosâ, extremum emiſit halitum. 5. Concilii hujus circumferuntur duo exemplaria; primum 8, ſecundum 13 exhibens canones, qui *Cyrilli* anathematiſmis comprehenduntur. 6. A. *Theodoreto* iſti vellicantur, ſed à *Cyrillo* ab objectis liberantur. 7. *Maſſilianitæ*, qui & *Euchitæ*, & *Enthuſiaſtæ* audiunt, ab hoc transfigantur cœtu, & fidei *Nicænæ* confirmatur integritas. Vid. *Liberatum in Breviar. cap.* 11. *ſq. Evag. hiſt. L.* 2. *c.* 2. *& ſq.*

A.D.454. 7. *Chalcedonenſe* ſequitur in *Bithynia* per Imperatorem *Martianum* ex 630 conflatu Epiſcopis, qui eidem cum conjuge *Pulcheria* interfuit, contra *Eutychetẽ Archimandritam Conſtantinopolitanum*, & *Dioſcorum Alexandrinum* ipſius hyperaſpiſten, damnabatque acta Concilii Epheſinæ λῃςικῆς. 2. Aſtruebant autem iſti unicam tantum in Chriſto poſt incarnationem, eamque divinam fuiſſe, naturam. 3 De Præſide iſtius Conſilii præter Imperatorem, & Judices moderantes (qui non nominantur) nil certi conſtat: partium ſtudio inter *Leonem* 1^m *Romanum*, & *Anatholium Conſtantinopolitanum* Patriarcham negotia plerunque diſceptantur & tranſiguntur. 3. Actiones juxta *Carrauzam* (quam ſeſſiones alii appellant) numerantur in eo ſedecem, quibus ſubnectuntur canones 29. 5. Hos (nec quicquid quod illorum obſtat ambitioni, ac ſi totus mundus erat conditus ad ipſorum obſequium) nullatenus probant Latini, quia poſt diſceſſum Legatorum *Leonis*, *Paſchaſini Lilybetani*, *Lucentii Aſculani*, &c. à Græcis ſanciti; præcipuè illum non ferunt canonem de privilegiorum paritate, propter ſedem Imperialem à *Conſtantinopolitanis* æquè ac *Romanis* vindicatam, unde *Leo* rugit *Romanus* & frendent catuli, ac ſi primatus potiùs, quàm fidei ſyncerita-

ritas

ritas, Concilii esset scopus palmaris. hinc Romanenses quod placet tantum probant in Conciliis, quod displicet abrogant; ut Conciliorum correctores, non corrigendi, qui id agunt talibus versutiis, ut omnes procidant, & adorent bestiam. 6. *Dioscorum* justè hic exauctoratum receperunt nihilominus *Africani*, & *Abyssini* tantum non in Sanctorum album referunt. 7. *Theodoreti Cyri* Episcopi (qui *Cyrilli Alexandrini* in *Nestorii* gratiam perstrinxisset anathematismos) admittitur palinodia, & sedi suæ restituitur, qui postea orthodoxis suis scriptis benè meritus est de Ecclesia.

1. *Constantinopolitanum* 2dum sub *Justiniano* 1mo Episcopos 165 numerat, præside *Mene*, vel potiùs ipsius successore *Eutychio Constantinopolitano* Patriarcha. *Vigilius* autem Papa (qui *Constantinopolim* ad citationem Imperatoris venisset) Concilio tamen noluit interesse, ne *Eutychio* cedere in primatus sui præjudicium videretur. 2. Id agebat Imperator, ut *Eutychianos* & *Orthodoxos* uniret in publicam tranquillitatem: ideoque tria capitula de condemnatione *Theodori Mopsuesteni*, epistolæ *Ibæ* ad *Marim Persam*, & *Theodoreti* adversus *Cyrillum* anathematizatum revocari voluit. Sed 3. obstabant constanter occidentales cum Papa *Vigilio*, confirmaverúntque non tantùm præcedentium Conciliorum trium, sed & omnia *Chalcedonensia* decreta hæreses & hæreticos istos anathematizantia. 4. Adjecto etiam in *Origenis* errores deterio, quibus aut Christi divinitas, aut corporum negatur resurrectio, aut astruitur reproborum aut diabolorum restitutio (quos *Sociniani* hodiè ab *Orco* revocant) 5. *Petrus* etiam *Antiochenus*, qui contendebat crucifixum trisagii hymno esse addendum, & *Anthimus Constantinopolitanus Eutychetis* partes una cùm Imperatrice *Theodora* & aliis gnaviter promoventibus, eâdē, cum aliis nonnullis, censura innodantur. 6. Prostant hujus Concilii collationes octo, & Canones sive anathematismi quatuordecim. 7. Lectu digna hic occurrunt Epistola *Felicis* Papæ ad *Petrum Antiochenum* A.D. 532.

otichenum monitoria ; & fidei expositio secundum (ut dicitur) revelationem *Gregorii Neo-Cæsarienſis* apud *Carranzam.* Consule de hac Synodo *Zonar. in vit. Justiniani. Niceph. L.17. c.27. Gregor. L.1. Ep. 24. Evagr. l.4. c.34. Liberat. in Breviar. c.23. & 24.* quem cautè legendum monet *Bellar. de Eccleſia L. 1. c.5.* quia ad *Romanenſium* ſalivam non ſapit.

A. D. 680. 9. *Conſtantinopolitanum* III. ſub *Conſtantino* Pogonato, promovente Papa *Agathone*, per miſſos à ſe legatos coaluit. 2. Convenerunt in eo Epiſcopi 150 (qui enim 279, vel 289 hic recenſent, Romanos abſentes, & alibi conſentientes accenſent) Huic Præſidem ſe præbuit ipſe Imperator præſens, & non Papæ deputatus. 3. Condemnantur hic *Monothelitæ, Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Petrus, Paulus, Theodorus* unà cùm Papa *Honorio* ; qui ad Eutychianiſmum palliandum unicam tantùm contendebant in Chriſto eſſe voluntatem. Ad hoc probandum adducit *Macarius* præcipuus iſtorum coriphæus ſuppoſititia librorum exemplaria, vel caſtrata & interpolata ; & delirus ſenex *Polychronius*, ex ſuſcitatione cujuſdam mortui, conatus eſt ridiculè hæreſin ſuam ſtabilire. 4. Actionibus abſolvitur 18. in quibus totius proceſſus Synodalis luculenta traditur enarratio; ubi actionis 3æ *Agathonis* Papæ, & 11æ *Sophronis* Patriarchę digniſſimæ lecta ſunt Epiſtolæ. 5. Canones 102, qui vulgo huic annectuntur Concilio, non abeo fuerunt ſanciti ; ſed à Patribus 227 poſt annos circiter 27 ſub *Juſtiniano* 2do in *Trullo* (hoc eſt in peritilio palatii Imperatorii teſtudinato) erant additi ; unde *Trullani* vulgo audiunt : nec à *Romanenſibus* (inprimis propter damnatum Papam *Honorium*, & communicata æqualia Patriarchæ Conſtantinopolitæ, cum Papa privilegia) omnimodo probantur ; ſubſcripſit tamen ipſis cum Imperatore, & Patribus 227, *Sanctiſſimus* Papa Romanus ut habetur Canone ultimo, & recipiunt alii apud *Joverium*. 6. Nihilominus, quò magis fidem hiſce omnibus derogent recentiores Papicolæ, ſub πανδέκτης, ſeu quiniſextæ titulo

referunt

referunt hos canones in supplementum hujus, & 6æ Synodi, quibus Canones defuere; quos ideo non tanti faciunt Latini, quia à Græcis post discessum illorum emanarunt. 7. Confirmat hoc Concilium non præcedentium tantùm generalium, sed particularium, utpote Antiochenæ, Laodicenæ, aliorumque Synodorum, canones. Quin & addit quæ probanda sunt in scriptis Patrum orthodoxis ut patet can. hujus 2do. Vid. *Paulum Diacon. in vit. Constant.* 4. *Adonem Viennensem*, *Bedam*, & alios cum *Iover.* ejusdem Concilii propugnaculo, quo adversarium sex rationes contra illud diluit Universal, Synod. *classe* 12 *p.* 69.

10. *Nicænum* II. sub *Constantino Irenes* imagines, & statuas, cum reliquiis à *Leone Isauro* & *Constantino Copronymo* ipsius avo, & abavo confractas, & dissipatas, in integrum restituit; promoventibus præcipuè negotium *Gregorio* 20. & 30 una cum *Adriano* 10, & *Constantinopolitano* Patriarcho *Tarasio*. 2. Ab hoc dissidio imaginario arrepta erat à Papis ansa Occidentales subducendi à debita, & jurata Græcis Imperatoribus subjectione, & imperium Occidentale à Græcis ad *Francos* transferendi. 3. Confluxerunt ad hoc Concilium Episcopi 350, qui sub Præcide (ut videtur) *Tarasio* Actionibus 7. & 22 Canonibus *iconoclastas*, ut hæreticos, perstrinxerunt: quorum argumenta falsè repetit, & elidit *Calvinus Inst. L.* 1. *c.* 11. §. 14. firmant tamen Patriarcha *Germanus*, cum *Jehanne Damascene*, cujus manum amputatam, ob imaginum defensionem, ab imagine B. Virginis prædicant esse restitutam: ut & miracula edita à sanguine lancinati crucifixi apud *Berithos* ad conversionem malitiosè vulnerantium. 4. Præter prolixam inter *Gregorium* & *Epiphanium* Act. 6æ. annexam de imaginibus, & eorum cultu velitationem, interspersuntur non nulla de Angelorum corporeitate, & traditionibus non scriptis scripturæ æquandis, de imaginum salutationibus, & cultu & cultura quæ à recentioribus non probantur. Illud laudandum quòd acta præcedentium sex A.D.781.

Conciliorum rata esse; & grata decernunt. 5. Latriam interim Deo tantùm reservant contra *Halensem*, *Aquinatem*, *Bonaventuram*, & recentiores illorum assecias, qui eundem honorem imagini, & exemplari: hoc est latriam Christo, hyperdulian B. Virgini, & dulian Sanctorum decernunt imaginibus. 6. *Bellarminus* & *Baronius* existimant hanc Synodum à Patribus Concilii *Franckofordiensis* sub *Carolo Magno* fuisse condemnatam, sed masculè se illis opponunt *Binius*, *Surius*, & alii apud *Longum. p.* 632. Jamdudum antea 7. *Albertus Pighius* hanc Synodum cum superiori transfixisset, ut adulterinam, quem refellere conatur *Turrianus Jesuita*, quàm dextrè lectores videant, Hujus Concilii dicitur hoc esse distichon.

Id Deus est quod imago docet, sed non Deus ipse;
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Hujus habes apud *Binium* duo exemplaria, Græco Latinum unum, alterum Latinum, quæ, ad placitum, ubi vacat, conferas.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

1. *De Concilii Nicæni* 1 *tempore, convocante Præside, Convocatorum numero, & canonum, rebus in eo gestis & determinatis, editione incorrupta & authentica aliquid certò constet?*
2. *Concilii* 1 *Constantinopolitani canones à Romanensibus meritò rejiciantur?*
3. *Symbolũ quod ibidem habetur* Nicænum *à Gregorio Nazianzeno fuerit concinnatum, & rectè postea cum additamento* [Filioq;] *à* Benedicto 7mo *promulgatum?*
4. *Canones Chalcedonensis Concilii jure a Papicolis exauctorentur?*
5. *Origenes meruerit Concilii Constantinopolitani tàm durum anathema?*
6. *Papa Honorius rectè à Concilio Constantinopolitano* 3° *pro Monothelita fuerit condemnatus?*
7. Nicænum *Concilii* 2^m *à Francofurtensi evidenter satis fit reprobatum?* Asserit Bell. negat Bin.

An

CAP. V.

De Conciliis Oecumenicis Latinis.

SECT. II.

1. GRæcis ſive Orientalibus totidem Latina & Occidentalia parallela ſtatuantur Concilia.

2. Scilicet
1. Ariminenſe.
2. Laterana.
3. Lugdunenſia.
4. Viennenſe.
5. Florentinum.
6. Lateranenſe 5m.
7. Tridentinum.

A.D.359.

3. *Ariminenſe* Concilium duplex eſſe obſervetur: 1m legitimum & orthodoxum, de quo hic agitur; alterum hæreticum & Tyrannicum, quod ſubdolè coactum fuit ab *Arianis* & titulo *Ariminenſis* inſignitum, ut ſpurium illud hoc genuinum extingueret. 2. 400 in hoc convenerunt Epiſcopi, de Præſide non conſtat. Imperator *Conſtantius Arianus* ſumptus ſuppeditare propoſuit, ſed renuerunt Epiſcopi, de victoria magis in hæreticos, quam de victu ſoliciti, qui coegiſſent tunc temporis *Seleuciæ* in *Iſauria* aliud Conciliabulum, quod geſta hujus *Ariminenſis* quovis modo irritaret. 3. Determinarunt tamen Synodi

Vid. Longum p 2696.

nodi hujus Patres numerosiores & cultiores. 1. fidem *Nicænam* usque ad apicem esse tenendam, & ὁμοούσιον esse asserendam. 2. *Sirmiensis* Synodi decreta esse explodenda. 3. *Ursacium*, & *Valentem* cum assectis suis *Arianis* Ecclesiæ communione esse privandos. 4. Qui paulo anteà per libellum apud Papam *Julium* Arianismo renuntiassent, nunc vero ut canes ad vomitum rediissent. 5. Ejecti sic, Imperatorem nimis infectum ita confictis officiis demulcerunt, ut, conducto in Nica Thraciæ conciliabulo sub titulo confessionis Nicææ formulam fidei ad suas rationes dedolatam cuderunt, & ita nominis homonymia incautiores inescarunt 5. Quin & eò progressi sunt, ut vi in ipsorum sententiam Episcopos reluctantes cogerent; Ipsúmque Pontificem Romanum *Liberium* id partes suas pertraxerunt, ut *Athanasii* condemnationi subscriberet: quem quomodo purgat *Bellarminus vid. de Pontif. Rom. L. 4. c. 9. 6.* Prætextus hic sophisticus hæreticorum est observandus, qui consubstantialitatem sublatam volebant é Symbolo ut vocabulum scripturæ ignotum, & captui populari minùs accommodum, ut ipsi tali stratagemate fidem Nicænam everterent. Quare 7. *Ariminenses* hi orthodoxi, in Arianos, vibratis anathematibus, illud stabiliunt quod monet *Longus Bellarminus* non animadvertisse, dum unam tantùm Synodum *Ariminensem*; eamque reprobatam astruit; cùm aliter ex *Athanasio* de Synodis. *Ambros. Epistola* 32. ipsoque *Baronio An.* 359. *n.* 49. & sq. potuit informari.

Vid. Prateolum in V. Valens.

4. *Laterana* 4ª prima sub eodem titulo comprehendantur, ut Papales potiùs rixas, quam doctrinam & disciplinam Ecclesiæ respicientia. 1m sub *Henrico* 5°, & *Calixto* 2°, Episcopos 300 (vel juxta *Bellarm.* 900) Canones vero 22 numerat. 2. *Burdinus Anti-papa* in hoc deponitur. 3. Investituræ per annulum & baculum Imperatori adimuntur, & Pontifici conceduntur. 4. Pontifex absolvit Imperatorem, & electiones Episcoporum Germanicorum illi indulget. 5. Decernuntur cruciatæ in bellum Saracenicum. Quibus 6. bellum illud gerentibns

A.D. 1123.

efficitur

efficitur indulgentia peccatorum, & familiis ipsorum impertitur. 7. Apud *Ioverium* & *Carranzam* hoc non occurrit, & *Bellarminus* non extare fatetur: tam sedulos se præstiterunt pontifices Conciliorum Generalium scriniarios.

A.D.1131. II. Sub *Lothario* Imperatore, & *Innocentio* 20 mille circiter Episcopos accumulat. 2. Canones exhibet 30 è *Gratiano* & *Vaticana* Bibliotheca nuper editos, quos non extare asseruit *Bellarminus*. 3. *Petrum Leonis* sedem usurpantem Papalem sub *Anacleti* 2di titulo exauctorat. 4. *Petrum* de *Bruis*, & *Arnaldum* de *Brixia Petri Abaillardi* discipulum pædobaptismum, Ecclesiarum fabricas, & crucis venerationem improbantes, hæreticorum notat stigmate. 5. Sacrilegos istos esse laicos, & periculum æternæ damnationis incurrere, qui decimas recipiunt, pronuntiat. 6. Torneamenta sive hastiludia interdicit, in quibus vitæ periclitatur jactura. Et 7. Fœneratores, præcipuè clericos, Christiana privat sepultura, & Orco devovet. III.

A.D.1179. Sub *Frederico* 10, & *Alexandro* 30, 300 Episcoporum confessu schisma tollit inter *Alexandrum* hunc, & *Octavianum* quendam, & ipsius successores *Gindonem*, & *Johannem* à *Germanis* adversus illum succollatos, quod *Europam* in partes distraxerit. 2. *Albingenses* sub nominibus *Catharorum*, *Publicanorum*, & *Paterinorum* à *Waldensibus* ortum ducentes hic damnantur. 3. Nec ferulum hic evadit Magister Sententiarum *Lombardus*, qui Christum, secundum quod homo, non esse aliquid docuisset, sed *Willielmo Senonensi* Episcopo castigandus traditur. 4. Ordinationes à schismaticis factæ penitus abrogantur. 5. Leprosis deputantur separata Oratoria, & sacerdotes. 6. Modus comitatui Archiepiscoporum & Episcoporum in visitationibus præscribitur, & Decanis, ut non exerceant jurisdictionem Episcopalem. 7. Canones 27 huic destinantur Concilio, sed qui distinctum nuspiam occurrunt, verùm apud *Math. Parisiensem* conglobantur, & laudantur. IV.

A.D.1215. Sub *Frederico* 20, & *Innocentio* 30, 400 Episcopis & 80 aliis Patribus, imo 1283 Patribus, è quibus 673 erant Episcopi,

inquit

pi inquit *Bellarminus*, majora moliebatur. 2. *Joachimi* Abbatis librum de Trinitate contra P. *Lombardum* explodit; *Almarici* damnat 20 insanias, præcipuè negatam transubstantiationem. 3. Transubstantiationem, absolutionem Padalem subditorum à juramenti erga superiores vinculo, & confessionem auricularem statuminat. 4. Juramentum exigit à secularibus potestatibus, ut hæreticos à Papa designatos è finibus suis arceant, 5. Cruciatos ad terram sanctam sub *Gothofredo Bolionæo* recuperandam indulgentiis, & promissis extimulat, 6. Beneficiorum pluralitatem, & reliquias vænales perstringit. 6. Capitula hujus extant 67 vel 70 à *Longo* brevitut contracta; qui ad ampliora volumina lectorem remittit.

5. *Lugdunenſia* ſequuntur 20 Concilia, 1m ſub *Frederico* 2do ab *Innocentio* 4o, coagmentatum. 2. In hoc magnanimus & pius Imperator de Eccleſia Chriſtiana adverſus infideles optimè meritus, poſt 4m ad minus excommunicationem, à Papa propria authoritate deponitur, & interdictum ut nullus illum de cætero Imperatorem nominaret. 3. Depoſitus jus ſuum heroicè defendit, unà cum *Gibellinis* ſuis contra *Guelphos* papizantes. 4. Præſes hic non expectandus præter Papam, qui, ſub prætextu terram ſanctam recuperandi, 140 Epiſcopos & Abbates in ſuas partes traxerat, ut per quintas Eccleſiarum reditum Orientem redimerent, dum Occidens à Papali tyrannide eſſet potiùs liberandus, 5. Ubi galerus interim coccineus Cardinalibus deſignatur, Feſta nova inſtituuntur in Sanctorum Papalium apotheoſin inter tot cruenta, per an. 200 & ultra graſſantia ex hoc facinore Anti-Chriſtiano, incendia. 6. *Dominicani*, *Franciſcani*, *Carmelitæ* & *Auguſtiniani* per Papam hunc piæcipuè animati non adimunt, ſed addunt potius ut patentius ſchiſma evaderet. 7. Quæ huic Concilio aſcribuntur 17 inſtitutiones politicæ potius ſunt, vel polemicæ, quàm Eccleſiaſticæ; à Sexto decretalium, dirigente *Bellarm.* petendæ. Acta habentur apud *Abbatem Stadienſem*, & *Trithemium in Chronicis*, A.D.1245.

A.D.1273. cis, *Palmerium Platinam*, *Onuphrium*, & alios. II. Hic celebratum Concilium sub *Rodolpho* 1o *Haspurgensi*, *Gregorio* Xo procurante, 700 ad minimum ostendit Episcopos. 2. Interfuit *Michael Palæologus* Imperator Græcus, qui necessitate coactus Græcos induxit suos, ut processui S. S. à Patre Filióque jam 13a vice cùm Latinis subscriberent: quod redeuntes in patriam, more suo revocarunt: tam parùm valet in sacris cocta fides. 3. *Aquinas* vocatus ad hoc Concilium moritur in itinere, *Bonaventura* in eo creatus Cardinalis post egregiè navatam operam contra Græcos ultimum ibidem emisit Spiritum. 4. Papa pro subsidio terræ sanctæ per sexennium proventuum omnium Ecclesiasticorum requirit decimas, quæ studiosè collectæ vix hilum oppressis Orientalibus contulerunt. 5. Decernitur hic ad nomen Jesu genuflexio. 6. Constitutiones hujus prostant 31, quæ Papæ potius habeantur placita, quàm Concilii sanctiones. Ideoque 7. Omittuntur à Summistis ut petendæ etiam è sexto Decretalium. *Bell.*

A.D.1311. 6. *Viennense* Concilium sub *Henrico* 7o Imperatore, & *Clemente* 5o, congregatum 300 & ampliùs Episcopos extulit. In hoc 1. *Bonifacius* 8us à *Philippo Pulchro*, ut deleretur à diptycis expetitus, liberatur ab objectis dicteriis. 2. Expeditio *Hierosolimitana* acriùs urgetur, sublatis è medio *Templariis*, qui per an. ferè 184 Templum muniviſſent, ob interfectum *Abyssinorum* Legatum, & alia facinora & hæreses. Rem acu tangit *Trithemius*, fuerunt *Templarii* valde divites, quòd satis erat ad hæresin & exterminium. 3. Juramentum fidelitatis, non subjectionis, conceditur à Clericis, Magistratibus laicis esse præstandum. 4. *Petrus Johannis*, *Dulciniste*, *Fratricelli*, *Begwardi* & *Begwinæ* unà cùm *Lolardis* condemnantur. *Petrus Johannes* quia animam negaverit esse hominis formam; quod durum est carbone hæretico notare. Cæteris etiam (utcunque nullo modo ferendis) impinguntur fictitiæ. 5. In lata Clementis sententia de *Templariis* apud *Longum*, non assumit

Antonin. hist. par. 3. Tit. 11. c. 3.

Pag. 158.

fiib

sibi Papa potestatem de jure definiendi, sed viam provisionis, seu ordinandi, ut nullus ordinem istum postea intraret, sed boni ejectorum Apostolicæ sedis ordinationi subjacerent. 6. Concilii hujus constitutiones sub nomine *Clementinarum* extant 5 libr. ad juris Canonici complementum. 7. In quibus est celebre illud decretum de Professoribus constituendis, & commodo stipendio cohonestandis, qui in Cura *Romana*, & Academiis *Parisiensi*, *Oxoniensi*, *Bononiensi*, & *Salamantica* Hebraicam, Arabicam, & Chaldæam decerent linguam, ut ex sic instructis *Judæi* & *Mahumetani* ad fidem dexterius converterentur. *Clement. l. 5. Tit. 1. Gag. l. 7.*

7. *Florentianum* Concilium *Ferariæ* erat inchoatum sub *Alberto* Imperante & *Eugenio* 4°: Sed ob grassantem pestem *Florentiæ* translatum, & finitum. 2. Convenerunt in eo 141 Episcopi sub ipso Papa Præside, qui depositus à Concilio *Basileensi*, eodem tempore apud *Germanos* celebrato hoc diverticulo satis astuto, à rigidis istis censoribus se exemit. 3. Interfuit huic Concilio *Johannes Palæologus* cum Patriarcha *Josepho*, & Græcis Doctoribus. 4. Disceptati sunt in eo articuli, de 1. processione S. S. 2. de additamento symbolo Nicæne [Filioque] 3. de purgatorio, 4. virtute Suffragiorum, & oblationum pro mortuis. 5. De transubstantiatione. 6. De azymo in Eucharistia adhibendo. 7. Sed præcipuè de agnoscendo Papæ suprematu: in quibus omnibus dicuntur Græci cum Latinis consensisse, utcunque in patriam reduces haud multo postea resilierunt. 4. Id pietatis & prudentiæ erat Papalis, ut Imperator ipse cum suis, ipsius Sanctitati, & Cardinalibus in dispositis sedilibus loco cederent. 5. Josepho Patriarcha, absque morbo prævio, subitò post subscriptionem expirante, invenitur tamen sub ejus manu schedula, in qua testatur cùm Latinis plenarium ipsius consensum. 6. Sessiones habuit hoc Concilium 25; sedecem *Ferariæ*, reliquas 9 *Florentiæ*: in quibus tulerunt de *Græcis Salmacida*, ut loquuntur, spolia: optandum fuisset ut plus syn- A.D. 1439.

ceritas, & minus valuisset ὀφρὺς δωτινῆ, phalerata ambitio 7. Institutio *Armenorum*, quæ huic Concilio à *Carranza* & *Longo* attexitur, omittitur ab aliis, & Papalis tantùm erat post finitum Concilium fœtus, ut patet ex temporum collatione.

A.D. 1512. *Inchoatum sub Julio 2.* 8. *Lateranense* 5m Concilium rectè dicatur coactam ad *Pisanum* (quod Cardinales nonnulli contra Pontificem perjurum congregassent) evacuandum. 1. Convenerunt in eo 114 Episcopi sub *Maximiliano* 10 Imp. & *Julio* 20 Papa Præside. 2. Sessiones complectitur 12; è quibus 5 sub *Julio*, reliquæ 7 (à *Leone* 10 post obitum ipsius in cathedram Papalem evecto) erant consummatæ. 3. Ad sessionem 9 totidem appenduntur canones de curiæ (ut prætexitur) *Romanæ* reformatione; sed parùm ad rem fuerunt, nec pluris æstimati, quàm totius Concilii censuræ: quas *Suarez*, *Cajetanus*, *Navarrus* non receptas esse profitentur. 4. Pragmatica Sanctio, in Concilio *Basilienſi* adversus Papales usurpationes pro libertate Ecclesiastica concinnata, expenditur hic, & exploditur. 5. Montes pietatis commodè hic etiam stabiliuntur, unde quasi ex gazaphylacio publico pauperes indigi, artifices, aut virgines alias indotatæ petant subsidium. 6. Astruitur ulterius animæ immortalitas, de qua plurimi tunc temporis dubitabant, alii vel procaciter disceptabant, vel diabolicè eam negabant: unde injungitur Scholarchis, Academicis, ut orthodoxum hisce de articulis speciatim contra tales grassantes philosophastrorum atheismos inculcarent doctrinam. 7. Nec liberum relinquitur Prædicantibus ut scripturam torqueant pro vertigine, ad dogmata inaudita disseminanda, sed inter terminos à majoribus fixos, quantum fieri potuit, se continerent: quibus modus additur de libris imprimendis, ne quis absque Doctorum examine, quid libuerit, mundo obtruderit.

Finitum 1517 sub Leone X.

9. Concilii *Tridentinum* sub *Carolo* 5°, & *Ferdinando* 1° *Pauli* 3, *Julii* 3, & *Pii* 4. solicitudines per an. 18 exercuit, 2. Sub *Paulo* 3, post multas ambages, de 1. Scriptura.

2. Pec-.

2. Peccato originali. 3. Justificatione. 4. Sacramentis in genere. 5. Baptismo. 6. Translatione Concilii. 7 Cùm interjectis de reformatione decretis 10 sessionibus, pro ut visum est, dictarunt Patres, adjectis anathematum tonitruis. 3. Reducit *Julius* 3 à *Bononiæ* portu classem totam in Tridentinum alveum: ubi 1. de Eucharistia, 2. Pœnitentia, & 3. Extrema unctione, interspersis reformationis quibusdam sesamis, eadem methodo sessionibus aliis conficitur negotium. 4. *Pius* 4 (sublatis è medio duobus istis Antesignanis) scenam demùm ingreditur, & 1 de communione Laicorum sub una specie. 2. Missæ sacrificio. 3. Ordinis Sacramento. 4. Matrimonio. 5. Purgatorio, veneratione reliquiarum, invocatione Sanctorum, & imaginibus. 6. Indulgentiis, ciborum delectu, jejuniis, & festis. 7. Indice librorum, Breviario, & Missali sessionibus postremis nonis expectatum ponit colophonum. 5. Præfuerunt his sessionibus 25 Papæ per suos delegatos. conceduntur hic etiam Protestantibus 3 salvi conductus, sed eo artificio ut liberum esset illis sine periculo adesse Concilio, & rationes sui dissensus proponere; sed ut instituerentur tantùm, ceu à dictatoribus aut Magistris, non ut aliquid reformandum impetrarent. 6. Urgent & expectantes communionem sub utraque specie seculares Principes per Oratores transmittunt tandem ad scrinium Papalis pectoris, cui etiam relinquitur vulgaris editionis, Catechismi, Breviarii, Missalium, aliarumq; sordium, prout ipsius infallibilitati visum fuerit, expurgatio: abusus interim 21, à delegatis juratis à *Paulo* 30 observati, & Papæ delati sicco pede transeuntur, & silentio corriguntur. 7. Unde Concilium, tot acclamationibus ebuccinatum, & sub anulo Piscatoris tam solenniter firmatum, non admiserunt *Galli*, nec magni fecerunt doctiores è Pontificiis: aliqui Refutarunt, *Kemnitius*, *Gentiletus*, *Calvinus* ex parte Historiam ejusdem edidit *P. Suavius Venetus*, technas aperiit *Gallus*, *à D. L.* anglicè redditus. Orat. in eo habitæ

uno prostant volumine, è quibus pateat non ad lites componendas, sed ad Christianis imponendum conductos, & seductos fuisse tot doctos à Pontificibus, in hoc ultimo ab illis probato Oecumenico Concilio.

QUÆSTIONES.

An
1. *Ariminense* 1m *merito habeatur pro Oecumenico, & probando Concilio?* Aff. Longus sum. Concil. p. 266.
2. *Concilii* 4ti *Lateranensis decreta, quæ circumferuntur, sint ancipitis fidei?* Aff. Widrington. Rejoynder p. 368.
3. *Græci in* 2o *Concilio Lugdunensi, ut postea in Florentino, coactè potiùs quàm liberè, & bona fide, Latinorum subscripserunt placitis?*
4. *Viennensis Concilii Clementina indubitato habeantur pro jure canonico?*
5. *Instructio Armenorum inter Acta Concilii Florentini sint reputanda?*
6. *Pragmatica sanctio à Concilio* 5o *Lateranensi licitè fuerit abrogata?*
7. *Concilium Tridentinum sit Christianissimi, & Christianorum Principum sacrum ludibrium!*

CAP

CAP. VI.

De Conciliis controversis.

1. COntroversa statuantur *Concilia*, cujusmodi *Bellarminus* partim approbata, partim reprobata; peculiari digerit classe: quæ si inter libros obtineret distinctio, cur non *Alcoranum Turcicum* sub eo titulo inter fastos Christianorum locum non inveniret? Hinc revera patet Concilium nihil aliud esse, quàm machinam Papalem, qua attrahit vel repellit in Ecclesiasticis, quicquid ipsi visum fuit; & utitur non ad Ecclesiæ commodum, sed ubi religionis suffragantium larvâ ad cathedram suam stabiliendam. Videndum est interim quomodo se habent hic Sacerdotum vestigia in cineribus sparso pavimento. *Daniel.*

2. Controversa igitur hic habeantur Concilia
1. Constantinopolitanum 4.
2. Sardicense.
3. Syrminense.
4. Quinisextum.
5. Francofurtense.
6. Constantiense.
7. Basileense.

Bell. de Eccles. L. 1. c. 7.

3. Constantinopolitanum 4 sub *Basilio* Imperatori-cida *Græco*, & *Adriano* 2do (reluctante Imperatore Romano) sedem Papalem usurpante, è 102 Episcopis coaluit. A.D. 870. *Vid. Jover. p.* 110.

2 Hu-

2. Hujus præcipuum erat negotium, ut exauctoretur Doctissimus Græcorum Patriarcha *Photius*, qui μωριόβιβλον reliquit posteris: eò quòd scripto quodam aculeato Papalem pupugisset tyrannidem, imaginibus erat infestior, & cathedram *Ignatio* debitam, qui *Romanensium* malleis erat ductilior, non canonico assensu occupasset. quicquid fuerit citatur, contumeliis afficitur, ejicitur, & pœnitentiæ epitimio omnes ipsius symmistæ & sequaces, satis pro Legatorum *Romanensium* imperio, multantur. 3. Actionibus quibus hæc transiguntur 9. canones 27 annectuntur: in quibus, præter amentata in *Photianos* spicula, & imaginibus collata honoraria, laudandum illud 16 canonis; quod interdicit Sacerdotum indumenta vel lusus causa in dramaticis esse usurpanda. 4. *Bulgari*, recens ad fidem conversi, quærunt in hoc Concilio utri Ecclesiæ, *Græcæ* potius an *Romanæ* se adjungerunt; sed quid factum parcè indicant. *Romanenses*, non tacituri Papalis magnitudinis incrementum. 5. Illud constat *Adriani* Legatos Imperatoris usurpantis fretos patrocinio tam superciliosè in *Photium*, & *Græcos* Episcopos se gessisse, ut redeuntes illos ad Dominum *Slavi* invadunt, exuunt omnibus bonis, & Concilii examplar authenticum, quod habuit Imperatoris & omnium consentientium autographa, ab illis eripiunt. Reliquiæ igitur hujus quæ 6. Exhibentur *Anastatio* debentur Bibliothecario, qui gestis & decretis interfuit, & quod vidit & observavit posteris transmisit: quibus *Andr. Schottus* Jesuita in *Præfat. Bilb. Photii* plurimum lucis attulit. 7. *Græci* nihilominus hanc Synodum non recipiunt, quin ad *Bell.* omnia hic ut incerta statuit, & supposititia: non desunt siquidem qui *Photium*, quem depositum hoc ab *Adriano* legimus, à *Johanne* 8. hoc est Papa *Joanna* ipsius successore restitutum fuisse astruunt; unde constat nec *Græcos* cum *Romanis*, nec *Romanenses* inter se, de hujus Synodi actis aut authoritate, satis convenire.

A.D.351. 4. *Sardicense*, sub *Constantio*, & *Julio* Papa, dicitur esse celebratum

celebratum. 2. In eo numerantur Epiſcopi 376; è quibus 300 Occidentales confirmarunt fidem *Nicænem*, & id egerunt, ut *Athanaſius* qui per triennium *Romæ* exulerat, ad ſedem ſuam *Alexandrinam* reſtitueretur: reliqui 76 Ariani *Philippolim* concedentes ſub *Sardenſis* Concilii titulo Arianiſmum ſtabiliverunt. 3. Præſidis hic nulla fit mentio niſi *Oſii Cordubenſis*, qui, abſque legatis Papalibus, cum *Gaudentio* & aliis piis Epiſcopis canones 21 Sanxerunt. 4. Vulgo dicitur Concilii Nicæni I. appendix; in cujus canonibus de ſupremate Papæ, aut cum à tranſmarinis Eccleſiis appellatione (ut vult ex Baronio prolixo Longus) ne gry quidem occurrit. 5. Non hoc, ſed Concilium *Philippoli* ab *Arianis*; ſub hujus habitum nomine perſtringit *Auguſtinus*, & qui ſub æquivocatione ſeducuntur. 6. Fertur *Arium* quendam orthodoxum huic Concilio interfuiſſe, converſum (ut putatur) *Laodiceæ* ab *Athanaſio*. 7. Copiosè hujus Synodi hiſtoriam deſcribit ex *Socrate*, *Sozomeno*, hiſtoria Tripartita, *Binius*: in quo tres iſti canones 3. 4. & 5. qui appellationes probant ad Pontificem Romanum, non neceſſarias illas ſtatuunt, ſed arbitrarias, nec obligant Epiſcopos in univerſum, ſed ſubditos tantum ipſius Patriarchatui.

5. *Syrmienſe*, ſive *Syrmienſe*, ſub *Conſtantii* tyrannide *Arianâ* ita tremuit, & ingemuit, ut *Liberii* Papæ ſupremates, aut præſidentia ne oculos audebat attollere. 2. Interfuiſſe dicuntur, præter Orientales, 300 & ampliùs Occidentales Epiſcopi ad cauſam Photini audiendam, & determinandam; qui conqueſtus eſt apud Imperatorem ſe in *Sardicenſi* Synodo injuſtè fuiſſe condemnatum. quid patraſſet? prædicaſſet nimirum Chriſtum nudum tantùm fuiſſe hominem, & matri minorennem: quod *Socinianorum* eſt ſententia. 3. Adverſus hanc ſubleſtam hæreſin, confeſſionem adeo ſubdolè compoſuit græcè *Marcus Arethuſius*, ut probare eam non dubitarint *Hilarius*, & *Liberius*: quippe quod verbis non manifeſtavit, quam fovebat hæreſin; forſan cùm *Urſacio* & *Valente*, qui alteram A.D. 356.

ſubjecerunt Latinum non verbo tantùm conſubſtantialitatis carentem, ſed eandem prorſus oppugnantem. 4. Miſerum eſt hic legere *Hoſium*, propè centenarium, flagris fuiſſe coactum, ut, poſt tot triumphatos *Homouſianorum* hoſtes, Arianiſmo ſubſcriberet; damnare tamen noluit *Athanaſium*, & ante obitum pientiſſima palinodia lapſum expiavit. 5. *Liberium* Papalis infallibilitas ab eodem lapſu non præſtitit liberum; quanquam illum dextrè excuſat *Bellarminus*. 6. Hujus Concilii, ſeu Conciliabuli (inquit *Longus*) prærer 3 fidei formulas, quæ apud *Binium* reperiuntur, nihil extat: At extare docet 26 anathematiſmos, quos unà cum confeſſione orthodoxa protulit *Caranza*, quod *Longum* non potuit latere. 7. Iterius explicant hanc Synodum *Socrates L. 1. c. 24. & ſq. Sozomenus L. 4. c. 5 & 6. Epiph. hæreſ. 7.*

De Rom. Pontif. L. 4. c. 9.

A.D. 692. 6. *Quinſextum* (ut à *Balſamone* nominatur) Concilium erratica eſt, *Bedæ* & plurimis Latinis, Synodus. 2. Sub *Juſtiniano* 2°. & *Sergio* Papa, qui in ea convenêre Patres, quoniam 5ta & 6ta, quæ præceſſiſſent, Synodi de moribus nil præcepiſſent, aut diſciplina Eccleſiaſtica, æquiſſimum cenſuerunt ut ſuppleretur iſte defectus: ideoque canones ſinxerunt 102 in Palatii Imperialis *Trullo*; qui *Trullani* inde nominantur. 3. Hos Latini non recipiunt, qui, ipſis inſciis, abſque ipſorum conſenſu, Pontificis præſertim plenipotentia, editos fuiſſe indignantur: ſed acriùs pungit illud, quòd canone 36 æquatur *Conſtantinopolitanus* Romano Patriarchæ, & permittuntur can. 13. Cleris conjugia, aliáque nonnulla quæ ad ſalivam *Romanam* non faciunt. 4. Conſtat interim *Gregorium* 2m, & *Adrianum* cum Synodo *Nicæna* 2a, canonem *Trullanum*, contra *iconoclaſtas*, vibrare: quinetiam & Synodum hanc à *Nicænis* illis receptam tradit *Gratianus diſt. 16. c. 5.* ſed *Gratianum* dicunt ceſpitaſſe, & citaſſe alios non ut in ſe authenticum, ſed ab adverſariis pro tali habitum. 5. *Bellarminus* quinque argumentis hos canones *Trullanos* nullius eſſe roboris contendit *de Pontif. Rom. L. 2. c. 18.* quia nec generalis.

rális fuerunt Concilii, absque Papæ authoritate, & Synodi particulares universim absentes ut præsentes non obligant. Non expectandum igitur ut Tridentina decreta Protestantes obligarent. 6. Addit *Longus* ex *Anastasio* Bibliothecario nec receptos eos fuisse à cæteris Patriarchis, sed habitos esse indignos, qui excriberentur, & archivis reponerentur. mirum igitur est cujus ductu ad nos pervenerunt; unde æstimandi canones sunt ex consensu potius cum scripturis, quàm ex negligentiũ censu. 7. Quàm orthodoxi autem fuerunt hi Patres *Trullani*, & canones ex can. 2. pateat, in quo cum Synodis omnibus præcedaneis, & Patribus, quibus, nullus merito litem intendat, manifestum declarant consensum. P. 589.

7. De *Francofurtensi* Concilio variant authores an habendum sit Oecumenicum, vel Provinciale. Provinciale volunt esse recentiores; quia imaginibus videtur iniquius; quod Oecumenicum agnoscunt antiquiores ob convocantes *Carolum Magnum* & *Adrianum* 1m 300 ad minimum Episcopos. 2. Occasionem præbuit huic *Elipardus* Archiepiscopus *Toletanus*, cum *Felice Urgelitano* Aurilianensi Episcopo, qui Christum Dei filium fuisse tantùm adoptivum deprædicabant: quod refellit *Aquinas* 3 *part.* q. 23. *art.* 4. *Elisit.* 3. istam hæresin præcipue *Paulinus* in scripto quodam sacro Syllabo coram Imperatore perlecto, & à patribus approbato. 4. Confirmasse autem hanc Synodum *Nicæni* 2di de imaginibus adorandis sententiam contendit cùm *Longo Binius*, & alii; quam sententiam (inquit *Bell.*) optarem esse veram, sed suspicior esse falsam (cui sufftragatur *Baronius*) unde concludit quicquid illud Concilium definierit non magni esse faciendum; quia illi fine dubio anteponendum est Concilium *Nicænum* 2. Extant 5. De Synodi hujus gestis libri *Karolini*, quos multis scatere mendaciis asserit ibidem Cardinalis, ideoque pronuntiat libros istos nec esse *Karoli*, neque ejusmodi quibus ulla fides haberi potest; sed esse, tanquam A.D. 794.

alter *Melchisedech*, sine patre, sine matre, sine genealogia. Anonymus erumpens in lucem, quæ certa fraudis sunt indicia. 6. Constat tamen *Adrianum* Papam hunc refutasse; sed non addit ut *Karoli* scriptum, verùm ut librum hæreticum à *Karolo* ad Pontificem missio ut ipsi responderet. 7. Extat liber iste *Adriani* in Tom. 3. Conciliorum; atqui hoc, actis aut decretis hujus Concilii plenioribus, ut lucem aspicerent, non contigit.

8. *Constantiense* Concilium, majore cum molimine, A.D.1414. sub *Sigismundo* & *Johanne* 23, mille circiter Episcopos & Doctores ad Papalia tollendum schismata ex toto occidente concitavit. 2. Siquidem post *Gregorium* XI, qui reduxit ab *Avinione* (ubi per annos 70 hæsisset) Papalem curiam: Quidam Cardinales *Urbanum* 6^m^, qui sedebat *Romæ*, alii *Clementem* 6^m^, qui concessit rursus *Avinionem*, in Papalem sublimant cathedram; in partes abeunt nationes, *Angli* nostri cum *Gallis* & *Hispanis*, *Clementi* adhæsêre, mortuo *Urbano Romæ* sufficitur illi *Bonifacius* 9. Isti verò *Angelus* quidam coriarius *Venetus* sub titulo *Gregorii* 12. Nec *Clementi* sublato defuit successor *Petrus* de *Luna Hispanus* sub nomine *Benedicti* 13. Ad hoc 3. incendium extinguendum concurrunt *Pisis* Cardinales, & Episcopi, & schismaticis istis exauctoratis, *Cretensem* quendam *Alexandri* 5 insignitum titulo ad Papalem evexerunt apicem; sed citò ægrotabat hic *Cretensis Petrus Philaretus* ex toxicato (ut ferunt) clysterio: & *Johannes* 23 ex electione *Pisanorum* Cardinalem cathedram illius possedit: qui, urgente *Sigismundo Constantiense* hoc Concilium coegit, illique interfuit. 4. In quo criminibus plus minùs 60 oneratus respondet se Synodi censuræ submittere, à quâ tamen postea, mutata sententia, nocte aufugit, & retractans deponitur; & *Martinus* 5 per Concilium ad Papalem dignitatem exaltatur: unde illud *Johanni* accidit, quod, decidens de curru ante portam civitatis, præsagiebat, hic jaceo (exclamans) in nomine omnium diabolorum. 5. Circumferuntur hujus Concilii sessiones 45. dam-

damnantur in eo *Johannis Wicklevi* articuli 45, cujus cadaver insuper designatur è sepulchro extrahendum, & in cineres redigendum. Illud quod ipsi ascribitur art. 6. [Deus debet obedire diabolo, aliàs legitur Deus dedit] ut habet *Bernardus Lutzenburgensis*. 6. De *Johannis Hussi*, & *Hieronymi Pragensis* (contra salvum Imperatoris conductum) injuris & vivicomburis prolixæ sunt tragœdiæ. decernunt Patres Concilium esse supra Papam, quod moderni non concoquunt Papicolæ; & fidem hæretico datam non servandam; quod hodie non defendunt, quo latentiùs exerceant perfidiam incendiarii: stupendum est autem illud Sessione 13 decretum de calice laicis negando, non obstante Salvatoris institutus & Apostolorum praxi. Hinc nobiles *Bohemi* irritati, in Epistola quadam 54 munita sigillis, heroicè profitentur mentiri illos in caput suum, qui hæreses illis (utpote *Hussitis*) objiciunt, parati legem Christi, postergatis (ut loquuntur) humanis in contrarium statutis, sanguine suo tueri. & de *Hieronymi Pragensis* admiranda eruditione, & eloquentia testis est *Poggius Florentinus*: quod peculiari tractatu delineabat. 7. Comitabantur hoc Concilium (ut habet quidam) mulieres publicæ 450, Barbitonsores 600, joculatores 320. &c. sed boni inquit propter raritatem inenarrabiles. qui tamen omnes sine salvo conductu à vivicomburiis, vel aliis censuris fuerunt immunes. *Salomon Gesnerus.*

9. *Basileense* Concilium post annos circiter 16, promovente *Sigismundo* Imperatore à *Martino* 5°, & postea ab *Eugenio* 4to indicitur: præsidebat in eo *Julianus* Cardinalis *Arelatensis*, & per an. fere 18 erat continuatum. 2. Sessiones numerat 45; in quibus non Episcopi tantùm sed alii viri docti (quod in præcedaneis non erat permissum) Conciliis; decisivam obtinuerunt sententiam. de numero suffragantium non constat. 3. In eo *Eugenius* 4 Papa citatur, & non comparens, propter contumaciam deponitur, & *Amadeus* Dux *Subaudiæ*, qui in montibus *Ripaliæ* eremiticam agebat vitam, sub titulo *Felicis* 5 à Gardinalibus A.D. 1431

libus ad Papalem ſublimitatem evehitur: conſtitutis his tribus veritatibus 1. Quod Concilium ſit ſupra Papam, & quemlibet alterum. 2. Quòd Papa illud legitimè congregatum non poteſt diſſolvere, prorogare, aut transferre. 3. Quodque iſta qui negat ſit hæreticus. 4. Eugenius nihilominus, hiſce inſuper habitis, *Ferraria* erigit Anti-Synodum; quam poſtea Florentiam tranſtulit, ubi cùm Græcis tranſegit, præſente Imperatore, & multa præſtitit alia quæ ſupra in Concilio *Florentino* perſtringuntur. 5. Confirmant interim *Baſileenſes* pragmaticam ſanctionem, annatas damnant, concubinarios ſufflaminant, quomodo *Judæi* ſint ad Chriſtianiſmum inſtituendi præcipiunt, immunitatem B. Virginis à cujuſvis peccati labe denuntiant, *Bohemis* laicis calicis uſum in Euchariſtia indulgent. Ecce altare contra altare, pares aquilas, & pila minantia pilis. 6. Propter graſſantem demùm peſtem recipiunt ſe *Baſileenſes Lauſannam*; ubi perſuadet *Fridericus* Imperat. Duci *Amadeo*, ut fælicitatem *Fœlicis* Papæ exueret: quod pacis ſtudio libenter ab eo eſt factum. ſic reconciliatus *Eugenius*, honoratus *Amadeus* galero Cardinalitio, & dignitate Legantina, finitum Concilium. 7. Hujus nil ratum & probatum eſt, præter diſpoſitiones quaſdam circa beneficia Eccleſiaſtica, aſſerit *Bellarminus*. Ut ſchiſmaticum & ſeditioſam damnat in Concilii *Lateranenſis* Seſſ. 11. *Leo* x. utcunque à *Nicholao*. & *Eugenio* legimus fuiſſe aliquoties probatum: præſertim ante mortem *Sigiſmundi* Imperatoris. Illud copioſè deſcribit & laudavit *Æneas Sylvius*, qui interfuit, & poſtea ſub titulo *Pii* 2 di pontificatum obtinuit: ſed mutata cum dignitate ſententia. Planiùs & pleniùs iſta refert in martyrologio noſter *Foxus*, & bibliotheca *Bodleana Oxonienſis* oſtendit indubitatum hujus Concilii autographon.

QUÆST.

QUÆSTIONES.

An
1. *Synodus 4 Constantinopolitana controversis Conciliis rectè annumeretur?*
2. *Sardicensis ut Nicæna I appendix commodè censeatur?*
3. *Socinianismus hodiernus de SS. Triade sit Photinianismus redintegratus?*
4. *Synodus Quini-sexta seu Trullana exuffletur meritò ut erratica?*
5. *Francofurtensis Nicæni 2 subvertat dogmata?*
6. *Constantiensis & Basileensis legitimæ fuerint Synodi, & generales?*
7. *Conveniat inter Papas & Papicolas de general. Conciliorum numero, aut authoritate?*

CAP

CAP. VII.

De *Conciliis rejectis.*

1. SUb titulo rejectorum Conciliorum transeant hujusmodi conciliabula, quæ vel dogmata hæretica statuminarunt, vel schismata & turbas, cum Christiani ovilis dissipatione, factiosè excitarunt.

2. Quo stigmate notantur præ cæteris
1. Antiochenum.
2. Mediolanense.
3. Seleucienſe.
4. Ephesinum 2dum.
5. Constantinopolitanum.
6. Pisanum 1.
7. Pisanum 2.

3. *Antiochenum* hoc concilium à quinque aliis, quæ recenset *Bellarminus*, est discriminandum : quod & *Longus* repetit, aliáque Concilia *Antiochena* commemorat. 2. Hoc ad *Constantii*, & *Julii* 1 refertur tempora. Notum est *Athanasii* exilium, & restitutio per *Constantinum Constantini Magni* filium : hanc illegitimam fuisse clamabant *Ariani*, quia eadem qua ejectus restituendus erat authoritate : causa ad *Julium* Papam delata, indicit ille *Romæ* Synodum. 3. Istam verò ut eluderent *Eusebiani*, hæreticorum primipili, *Constantium* subducunt facilè ad Dominici aurei encænia (hoc est) ad consecrationem Templi magnifici

A.D. 340.

ſici à *Conſtantino Magno Antiochiæ* extructum, quò confluxerunt, 90 circiter Epiſcopi, ex quibus 30 Ariani, Imperatoris ſtudio & authoritate, contra duplicata orthodoxorum ſuffragia, obtinuerunt reſtitutionis *Athanaſianæ* condemnationem. 4. In depoſiti ſedem ab *Euſebio Nicomedienſi* ſubſtituitur *Euſebius* quidam *Emyſſenus*, Arianiſmi inſignis hyperaſpiſtes; ſed nondum ſacris initiatus. Is, ut habet Poeta;

A ſe Tantalides onus invidiámque removit.

Occupat igitur cathedram *Gregorius Capadox*, quem alii vocant Georgium, putantes eſſe Sanctum tantoperè à noſtris celebratum. Conſtat ſiquidem illum è medio fuiſſe citò ſublatum, nec difficile eſt Arianis tryumphantibus martyrem ſuum equeſtri canonizatione honorare. 5. *Gratianus* & *Caranza* plurima citant ex hac Synodo tanquam orthodoxa; quo nomine à recentioribus corripiuntur. *Baron. Long.* 6. Formulam ediderunt fidei tàm veritate & errore internodiam, ut qui cavet ne decipiatur, vix cavet dum etiam cavet: omiſſione enim, quod ſtabiliret veritatem, enervant quod ponere in ſe ſuſcipiunt. 7. Canones ejus 25, quos apud *Longum* habeas, cum aliquibus annotatis diſciplinam potiùs receptam, quàm dogmata attingunt Eccleſiæ. Vid. *Socrat. L. 2. c. 5. Sozomen. lib. 3. cap. 5.*

4. *Mediolanenſe* eadem arat vitula ſub eodem *Conſtantio* Imperatore, & *Liberio* Papa. 2. 300 circiter in eo confluxiſſent Epiſcopi, quibus præfuit Imperator ipſe, orthodoxorum partibus infenſiſſimus. Ego (inquit Imperator) *Athanaſii* accuſator ſum, meo nomine illis credite. 3. Catholici, qui interfuerunt, Occidentales (Orientales enim pauci affuerunt) Epiſcopi ſe omnia conceſſuros *Arianis* ſpondebant, ſi *Niceni* fidei iſti priores ſubſcriberent: ſed obſtiterunt *Valens* & *Urſacius* primipili, A.D. 355.

iſtius factionis hamaxarii, Imperatoris epiſtola (quæ in Synodo legebatur) ſuffulti. 4. Sequutæ ſunt deinde Epiſcoporum degradationes, non ſalutares Eccleſiaſticæ determinationes; ſic ut conjurationem potiùs malignantium, quàm conventum Chriſtianorum illum fuiſſe diceres. 5. Id egerunt præcipuè, ut Liberium Romanum Epiſcopum, quà muneribus, quà minis in ſuam perfidiam pellicerent. Qui imperatori (his poſthabitis) exilio illum in Thracia adjudicanti & itineris ſumptus offerenti maſculè ſic reſpondiſſe fertur. Tu Eccleſias orbis terræ expilaſti & jam mihi ut damnato & egenti offers eleemoſynam? abi primùm ut Chriſtianus ipſe fias. 6. Fœlix Diaconus in Liberii locum ſuffectus Arianis quidem communicavit; licet fidem Nicænam integrè ſemper retinuit: quod populo orthodoxo parùm ſatisfecit. 7. *Hoſius Cordubenſis*, propè tum temporis centenarius, iſtius tyrannidis ſcuticas non evaſit. *Hilarius* Diaconus virgis ad ſubſcriptionem poſtulatur: alii contumeliis, vinculis, exilio, direptionibus ad conſentiendum corripiuntur. Nec ſub

A.D. 363. 5. *Seleucienſi* conciliabulo orientali, ſub eodem Conſtantio, ceſſavit perſequutio. 2. Conveniſſent priùs eo tempore *Arimini* (ut vult *Bellarminus* ex *Hieronymi* chronico) 600 Epiſcopi, è quibus Orientales heterodoxi ab orthodoxis numero, & argumentis ſuperati, in *Seleucia Iſauriæ* hoc conciliabulum ex Imperatoris mandato ferruminant. 3. Hic vero inter *Acacianos*, & *Semi-Arianos* non convenit: *Acaciani* conſubſtantialitatem prorſus explodunt; admittunt *Semi-Ariani*, ſuo ſenſu, retento tamen fermento, quod totam maſſam corrumpit. 4. Inter altercandum prævalent *Semi-Ariani*, formulâmq; fidei in encœniis *Antiochiæ* conſtitutam retinendam eſſe, & ſubſcribendâ definiunt: contradicentes ſive *Acacianos* ſive *Arianos* è ſuis ejiciunt ſedibus. 5. Condemnati ſe recipiunt ad Imperatorem, impetrantq; ut conventualio *Conſtantinopoli* coacto in integrum reſtituantur, hic novum cudunt ſymbolum,

ſymbolum, in quo non modo ſubſtantiæ, ſed etiam hypoſtaſis, vel ſubſiſtentiæ excluderentur termini. 6. Hoc non recipientes *Semi-Ariani* ab *Acacianis* vice verſa à ſuis ſedibus exulare coguntur. Interim ut viderentur catholici *Aecium* ſuæ ſectæ condemnant authorem. Ita Phariſæi & Sadducæi ſe invicem impetentes in cauſa B. *Pauli* propria raptantur vertigine. 7. *Hilarius Pictavienſis* (quem Sabellianum prædicant) cùm catholicis occidentalibus non patiuntur ſe Nicæna fide, vel latum unguem, abduci. Interponit Imperator non habere vires ullas Concilii alicujus definitionem, cui ſtatuta ipſius robur & copiam denegarent; qui coegit Epiſcopos tali fidei formulæ ab *Arimino* ad *Conſtantinopolim* adductæ ſic ſubſcribere, ut alia Occidentis, alia Orientis ejuſdem Imperatoris juſſu obtinuerit fidei profeſſio. Conſulantur *Ruffin. L.*1c. *c.* 21. *Socrat. L.*2.*c.* 31. 32. *Athanaſ. de Synod. Baron. An.* 359. *n.*61. *& ſq. Long. p.* 270. *Auguſt. Hieron. Baſil. apud Bell. de Concil. L.*1.*c.*6. & alii.

Act. 23. 10. *Apud Hilar. L.* 2. *p.* 44.

Sozomen. c. 35. *Hiſt. Tripart. L* 5. *c.* 34.

6. *Epheſino* Concilio 2do cauſam præbuit *Eutychetis Archimandrita Conſtantinopolitani* hæreſis; qui poſt *Manetem*, & *Apollinarem*, carnem Chriſti noſtri non fuiſſe ſimilem, ſed delapſum è cœlo B. Virginis uterum, tanquam ſolis radios, penetraſſe, adeoque duas in Chriſto incarnato negavit naturas, ſed carnem in divinitatem commutatam eſſe aſſerebat. 2. Ob prodigioſa hujuſmodi deliria, quibus plurimos dementaſſet, cum à *Flaviano Conſtantinopolitano Patriarcha*, *Euſebio* Dorilæi Epiſcopo, aliiſq; illorum ſymyſtis meritò eſſet condemnatus; tantùm abfuit ut reſipiſceret, ut per *Chryſaphium Eunuchum*, & *Eudoxiam Imperatricem* ſuis irretitos illecebris, à ductili *Theodoſio* 2do obtinuerit, ut illuſtrius Synodale examen totum negotium ſubiret. 3. Indicitur igitur hæc Epheſi authoritate Imperatoria; confluunt Epiſcopi 128, præſidet *Dioſcorus Alexandrinus*, citatus *Leo* ab occidente, ne videretur tantùm negligi, mittit 3 legatos. 4. In conventu omnium omnia peraguntur ad Dioſcori nutum,

A.D.449.

qui non plenior Eutychianismo quàm arrogantia & tyrannide, orthodoxos audire noluit, Leonis literas & legatos, sicut & *Eusebii Dorilæi Eutycheti* impacta crimina ne hili quidem æstimavit. 4. Absolvitur tandem Eutyches; Reclamentes fustibus ad subscriptiones postulantur. *Flavianus* reluctans sic calcibus (ipsius ut quidam asserunt, *Dioscori* inter cæteros) tàm furiosè impetitur, ut triduo post animam Deo reddidit. 5. Sedibus exuuntur *Ibas Edissenus, Eusebius Dorilæi, & Theodoretus* Cyri cum aliis doctissimis Episcopis. Legati Papales non absque vitæ summo discrimine ad suos dilabuntur. 6. Qua de feritate pluſquam barbarica quæritur coram *Dioscoro*, apud Patres *Chalcedonenses* causam postea agente, Episcopus Acacius. Putæ chartæ subscripsimus compulsi, & violenter, & multa mala perpessi sumus, usque ad vesperam tenuerunt nos reclamantes in Ecclesia, & ægrotantes quiescere non permiserunt, sed milites nobis cum fustibus, & gladiis imposuerunt, & sic nos fecerunt subnotare. 7. Unde λῃστικὴ hæc, sive prædatoria merito ab omnibus piis appellatur Synodus; in qua thronum erexit Sathan, non multo post in Concilio *Chalcedonensi* celeberrimo fruſtulatim comminuendum. *Liberat. in Breviar. c.12. Evagr. l.1.c.9, 10. Niceph. l.14. cap. 47.*

A.D.730. *Bell. de Concil. l.1.c.6.*

7. Concilium *Constantinopolitanum*, quod rejectis accensetur, duplex è nonnullis statuitur: quæ alii in unum conflant, sed constat distinctio. quia 1um sub *Leone Isauro* Patre An. 730. secundum per *Constantinum Copronymum* An. 755. dicitur fuisse celebratum. 2. Unum interim oppugnant imaginum & reliquiarum cultum quo nomine unum, vel unienda saltem habeantur. 3. Primum sub *Leone* Sanctorum intercessionem decernit esse imaginariam, cultumque per imagines meram esse idololatriam. *Germanus* Patriarcha *Constantinop. Johannes Damascenus*, & alii imaginibus nimium propensi dignitatibus

bus ſuis ſpoliantur. 4. Pro imaginibus intercedit *Gregorius* 3 in Romana Anti-Synodo; qua Orientales ſub ſtigmate hæreticorum iconoclaſtarum excommunicat. 5. Iſta non deterrent filium *Conſtantinum Copronymum*, quo minùs ſe iconoclaſtem eſſe commonſtraret; 338 cogit Conſtantinopoli Epiſcopos, quibus ipſe præeſt, & imagines non reſiſtentes perſequitur. 6. Hanc & 7. Synodum Oecumenicam amplexi ſunt nonnulli; ſed ita deteſtati ſunt *Romanenſes*, ut, ob controverſiam hanc imaginariam, rebellarunt in Principes ſuos legitimos, Imperatores Græcos: unde poſtea ſucceſſit occidentalis ab oriente diviſio, quæ hoſtibus Eccleſiæ rupturam nunquam reſarciendam præbuit. 7. Hujus (ſi placeat ſtatuis, & imaginibus) corrigit errores Concilium *Nicænum* 2^m^; de quo in præcedentibus: ſed quàm nervosè, & theologicè patet ex ipſius decretis. De hiſce duabus Synodis vide *Paulum Diaconum l.* 21. 22. *rerum Romanarum & Zonaram In Annalibus.* A.D.755.

8. Concilium *Piſanum* 1um neſcit an inter reprobata vel probata ſtatueret *Bellarminus*: habetur ab aliis Generale, & defenditur triduana diſputatione à *Laurentio Rodulpho Florentiæ*, teſte *Antonio*, *Gerſone*, *Azorio*, aliiſque. 2. Interfuerunt ipſi Cardinales 23, Patriarchæ 3. Archiepiſcopi, & Epiſcopi 300, Monaſteriorum Præfecti 28, Theologi & legati Principum numero indefinito. 3. Coegit tot & tales viros illuſtres in talem conſeſſum non ferendum ſchiſma inter *Benedictum* 12, & *Gregorium* 13, cathedram Papalem tantum non in bicipitem *Parnaſſum* diſtrahentes; de quibus in Concilio *Conſtantienſi* dictum eſt antea. 4. Utrumque citatum, contumacem, perjurum deponit Concilium; & *Alexandrum* 8 authoritate propria in *Petri* collocant cathedrâ: quod utcunque ſchiſma non ſuſtulit. *Alexander* tamen 5 ſic electus in Paparum catalogo recenſetur. 5. Hujus Concilii occurrunt ſeſſiones 23, & proſtant acta *Lutetiæ* excuſa cum Chriſtianiſſimi Regis A.D.1409. *Bell. de Concil. l. 1. c. 8.*

Regis privilegio an. 1612. 6. *Antonius* hoc rejicit, ut conciliabulum acephalum; quia tumultuariò, quaſi à Cardinalibus abſque Pontificis authoritate, erat congregatum. Sed 7. Eventibus extraordinariis arripienda ſunt remedia; non quæ lex ſuppeditat, ſed quæ ad manum expeditiora: nam quomodo hic caput conſuleret, quod laborabat duplici impoſtemate: admoviſſent revera cauterium Chriſtiani Principes, Imperator præcipuè; ſed quia conſenſerunt cum Cardinalibus non irrita æſtimanda decreta ob annuli Piſcatoris defectum.

3. *Parte Tit.* 22. c. 5. §. 2. & 3.

A.D. 1511. 9. *Piſanum* 2^dum, ſub *Maximiliano* Imperatore, & *Ludovico Gallorum* Rege, contra *Julium* 2^dum Papam erat coactum. 2. *Julius* is juramento obſtrinxiſſet, ſe, infra biennium poſt electionem ad Papatum, Concilium generale eſſe celebraturum: ſed turbis ſecularibus intervenientibus, politiæ quàm juramenti ratio potior habetur; tergiverſatur, differt, expectantes eludit. 3. Sub patrocinio igitur Imperatoris, & Regis *Franciæ* Cardinales quidam eminentiores *Piſis* conveniunt; Pontificem citant, ad vadimonium & rationem de objiciendis reddendum. 4. Tantum abeſt ut obſequatur, ut illos omnes unà cum Rege Galliæ excommunicationis ferit fulmine: Imperator ipſe vix evaſit; ſed remiſſior factus pro tempore, declinavit incendium. 5. Anti-Synodum Pontifex *Lateranenſem* indicit *Romæ*; confluunt Cardinales, & Epiſcopi qui ipſius favebant partibus: apud quos excuſat perjurium, purgat ſe ab objectis, moritur. Succedit *Leo* X, Concilium cum applauſu continuat, plurima ſanxit decreta, ut ſuperius in Concilio *Lateranenſi* 5to inter Synodos Oecumenicas accipimus. 6. Cardinales *Piſani* cum ſuis ſe tandem ſubmittunt, & ſupplices priſtinæ dignitati ſunt reſtituti; *Gallus* perſtat, cudirque pecuniam cùm hac inſcriptione, *perdam Babylona.* 7. Non (quod ſciam) Concilii hujus ſchiſmatici decreta aliqua extant, rejicitur à Pontificiis, eo præſertim nomine, quod 1. non

indi ctum

indictum à Pontifice, sed insolenter contra Pontificem à suis subditis. 2. Quod tempus ad comparendum Convocatis nimis angustum erat præfixum. 3. Quod Civitas *Pisana* bellis præcedentibus exhausta Concilio non erat locus idoneus. 4. Quod à *Lateranensi* subsequente prorsus erat abnegatum, & rejectum; *& revera Pontifex à suis, utcunq; perjurus, & flagitiosus, non erat castigandus*: sed à Domino suo Imperatore, reliquisque Principibus Christianis cogendus in ordinem. *Long. p. 501.*

QUÆST

QUÆSTIONES.

1. *Concilium Antiochenum, ob defectum tantùm convocationis Papalis, habeatur reclamans?*
2. *Constantius Imperator in Concilio Mediolanensi Præsidis & accusatoris partes adversus Athanasium jure potuit sustinere?*
3. *Statuta cujusvis Concilii absq; confirmatione Imperatoria apud suos subditos sint invalida?*
4. *Synodus Ephesina 2da meritò appelletur Λησεικὴ?*
5. *Iconoclasta sub Leone & Copronymo hæreticis rectè accenseantur?*
6. *Paparum perfidia idololatrica, in imaginibus asserendis, Occidentales proditoriè ab Imperatoribus Græcis abalienavit?*
7. *Synodus Pisana 2a jure potuit Julium 2m suum Papam à Spiritualibus & temporalibus suspendere?*

An

CAP

CAP. VIII.

De *Conciliis nationalibus.*

1. PRæceſſerunt (quoad indictionem ſaltem aliquo modo) Concilia generalia: ſuccedunt Nationalia, quæ ſuo ambitu provinciales cujuſvis Metropolitani, & Diœceſani cujuſlibet Epiſcopi inter ſuos limites includunt Synodos.

Iſtæ 1 cedunt Generalibus. 2. Nec obligant aliquos extra limites præſcriptos. 3. Valent tamen apud omnes eorum decreta ſcripturis conformia, & à Generalibus confirmata.

2. Tribuuntur vero in
1. Italica.
2. Hiſpanica.
3. Gallica.
4. Germanica.
5. Orientalia.
6. Africana.
7. Britannica.

3. De quibus compendii non eſt minutatim agere; plurima enim exhis, vel fruſtulatim occurrunt apud hiſtoricos, abſque ſeſſionibus, aut canonibus: aut aliena ſunt iſtorum temporum conditioni accommodata, aut obſoleta abiêre in deſuetudinem. Carptim igitur ſufficit, quæ nobis uſui eſſe poſſunt, delibare, indicatis obi-

ter diexodicis unde ampliora petantur.

4. In *Italia* occurrunt 115 tales Synodi quasi nationales, quæ titulis Conciliorum *Romanorum* insigniuntur. 2. Perpendantur ista, quæ multiplicantur per *Victorem* & cæteros de celebratione Paschatis; eaque quæ lapsos pœnitentes, contra *Novatianorum* plusquam Stoicam torvitatem in communionem Ecclesiasticam receperunt. 3. Sub *Gelasio* illud est librationis momenti, librorum orthodoxorum, & heterodoxorum index expurgatorius in Synodo 70 Episcoporum confectus, & in jus Canonicum à posteris relatus: ubi plura de legendis infidelium, & idiotarum exterminandis: sed nihil de Supremato Papali, quod Moderni infarciunt, inveniamus. 4. Non prætereundum est *Simeessanum* illud Concilium difficillimis temporibus à 300 Episcopis celebratum; quo condemnatur *Marcellinus* Papa, quia idolis sacrificasset: nec excusat ab errore, quod hoc metu fecit, & egit postea pœnitentiam: valeant ista apud Deum ut ignoscat, non apud homines ut infallibilem conditionem Papalem agnoscant. 5. Notandum etiam, & venit illud à *Johanne* 23 coactum Concilium ad Imperatorem *Sigismundum* coronandum; ubi impudens bubo, iterato se inauspicato aspectu ingerens, turbavit & dissolvit totum negotium. 6. Synodus *Papiensis Papam* imperatorem & ipsos excommunicantem masculè vicissim excommunicant; & *Brixiensis Gregorium* 7m, vulgo *Hildebrandum*, Pontificium omnium pugilem ferocissimum, absque scrupulo deturbant è cathedra. 7. In Synodo *Melfitana*, & aliis habentur plurima in disciplina Ecclesiastica observatu dignissima, sepositis nonnullis superstitiosis, & ambitiosis corruptionem seculi, in quibus erant coactæ, nimium redolentibus.

A.D.494. *Long.* p.413. *Dist.* 15. *c. Sancta Romana.*

Long. p.150. *Bell. de Rom. Pontif. L.*4. *c.* 8.

A.D.1410.

A.D.1076. *Long.* p.734 *Id.* p. 739.

Id. 741.

5. *Hispania* exhibet Concilia. 1. *Toletana* 25, in quibus multa piè & prudenter fuerunt decreta; ut in primo assertio ista fidei contra *Priscillianistas* &c. 2. *Elibertinum*, quod 81 can. sancivit salutares: 36us prohibet ne picturæ fiant in Ecclesia. 3. *Cæsar Augustanum* etiam contra *Priscillianistas*;

scillianistas; in quo præcipitur ne quis Doctoris sibi usurpet titulum, nisi sit legitimè ad illum promotus. 4. *Illerdense*, ex quo 4r canones citat *Gratianus*, quorum unus est, in quadragesima nuptias non esse celebrandas. 5. *Bracarense* 1m & 2m, in quibus non tantum *Manichæi*, *Mathematici*, & *Priscillianistæ* debito inuruntur stigmate; sed ad ἐνταξίαν in Ecclesia conservandam plurima non contemnenda attexuntur. 6. *Matisconense* 1um etiam & 2m Clericorum reformat mores; & de solvendis decimis, & hospitalitate servanda pia quædam inculcant, hoc tempore nimis insuper habita. 7. *Hispalense* contra *Achephalos*, quod improbat prorsus Presbyteri per Presbyteros, & à Chore Episcopis Ecclesiarum consecrationem. Petantur ista copiosius ex *Garsia Loayasa* qui studiosiùs conquisivit, & collegit concilia *Hispanica*. Nec

6. *Gallia* minùs ferax conventuum est æstimanda. 1. In quà è Conciliis 13 *Parisiensibus* unum contra sacrilegos, & alterum 3 libris diffusum, Principibus, Episcopis, subditis inculcans salutifera, præcipui sunt momenti. 2. *Arelatense* 1m in causa *Cæciliani* & *Fælicis* Episcopi *Aptungitani*. 2m contra *Photinianos*, *Bonosianos*, & de disciplina inter Clericos servanda. 3m quod *Fausti Rhegiensis* anathematismos, & Lucidi exhibent confessionem, præ cæteris sunt expendenda. 3. Septem Concilia *Aurelianensia* de disciplina Ecclesiastica plurima habent non contemnenda. Notandum illud in 1o de rogationibus, & litaniis ante ascensionem Domini celebrandis. 4. *Arausicanum* 2m *Pelagianos* & *Semi-Pelagianos* ex scriptis *Augustini* prorsus transfigit. 5. *Bituriense* sanctionem pragmaticam adversus Papales obfirmat machinas. 6. *Cabilonense* Sanctuarii privilegia, & Sabbathi reverentiam sartam conservat tectam. 7. *Vasense* gloriam Patri, & Kyrie eleyson cum Trisagio litaniis ascribanda præcipit. Consulatur *Jacob. Sermundi* Synodorum collectio.

Long. 433. Id. 643. Id. 429. Id. 562. Id. 258. 448.

7. In *Germania* superiori & inferiori, præter 9 Syno-

dos *Colonienſes*, obſerventur hæc præ cæteris Concilia.

Id. p. 911. 618. 1. *Auguſtanum* de reformatione Cleri. 2. *Bavaricum* de ſabbato, & bonis Eccleſiæ 3. *Wormatienſe* de decoro in Eccleſiaſticis obſervando, & facinoroſis puniendis. 4. *Moguntinum* 1m de immunitatibus Eccleſiaſticis. 2m Contra *Gotteſchalcum*, Et 3m, in quo præcipiuntur preces pro rege *Arnulpho*, & conjuge, nec non pro ſtatu totius Chriſtianitatis. 5. *Aquiſgravenſe* de ordinibus Eccleſiaſticis. 689. 6. *Erfordienſe* de diebus feſtis. 699. 7. *Dordrechtanum* contra Remonſtrantes, eorumque præceptores, *Socinianos*.

Id. 337. 8. Sub Orientalibus comprehendantur *Græca Europæa*, & in vicinio *Aſiana*; cujuſmodi inter Græcos numerantur 1. Concilia *Conſtantinopolitana* 33. 2. Synodus ad quercum, in cauſa *Chryſoſtomi* & *Photii*. 3. Orientale contra *Maſſilianos*, qui ſtrophis ſuis Eccleſiæ imponebant. 4. *Ancyranum* de lapſis recipiendis, & rejiciendis. 353. 5. *Laodicenum* contra Angelo-latriam can. 35. & de canone ſcripturæ can. 58. 185. 6. *Gangrenſe* de moribus religioſè formandis. 222. 7. *Tyrium* in quo vexatus, & liberatus manus ille *Athanaſius*. 127.

Vid. Baron. *an.* 394. *n.* 32. *L.* 349. 9. Sub *Africanorum* Conciliorum titulo Concilia ferè 20 à Summiſtis memorantur; quorum canones, promiſcuè in unum collecti, haud facilè à poſteris diſtinguantur. 2. E *Carthaginenſibus* 15 Sextum inſignioris eſt notæ; quo Pontificum *Romanorum* fraus detegitur, obtrudendo, pro recipiendis appellationibus, canonem *Niceni* Concilii ſuppoſititium. 3. Quin & 3a prima, de hæreticorum baptiſmate non probando inter *Cyprianum* & *Stephanum*, oſtenduntur non tantam fuiſſe authoritatis inæqualitatem, ut *Africanus* Romanæ cederet plenipotentiæ. 4. Præ cæteris penſitanda occurrit *Mileuitana* Synodus, qua *Pelagianiſmus* à 60 Epiſcopis Penitus eſt confoſſus. 5. Concilium *Hipponenſe* canones aliarum

Long. p. 342. Synodorum accommodatiores colligit, & contrahit.

6. In

6. In Concilio *Cavernenſi*, inter *Primianiſtas* & *Maximianiſtas* egregia obſervetur pugna andabatica, *quod plerunque contingit cerebroſis quibuſvis ſchiſmaticis; qui cum ab Eccleſia ſemel deſciverint, inter ſe non diu conſentiunt. Auguſtinus in Pſ.* 36. 7. Quo ſpectat etiam Conciliabulum *Bagienſe*, ubi 340 Epiſcopi à *Primiano Carthagienſi* Epiſcopo concitati, Maximinum abſentem cum ſuis ſequacibus, infra minimorum detrudunt ſubſellia. *Aug. contr. Creſconium L.* 3. *c.* 53. *Africa* Concilia à *Juſtello* congeruntur ſtudioſius, & proſtant.

10. Inter Concilia *Britannica* notentur iſta præ cæteris. 1. *Wintonienſe* tempore Regis *Edgari* ſub *Dunſtano*; ubi contra ſacerdotes uxoratos lignea crux tulit ſuffragium. unde verſus,

Humano more crux præſens edidit ore,
Cœlitùs effata, quæ proſpicis hic ſubarata,
Abeat ut hoc fiat, & cætera commemorata.

2. *Oxonienſe* ſub *Stephano Langthon* Cantuarienſi Archiepiſcopo; qui Biblia diſtinxit in capita, & commentariis illuſtravit. Ab hoc habemus excommunicationes, & conſtitutiones 48 de bono Eccleſiæ regimine, quas ſparſim ſuis provincialibus intertexuit *Linwoodus*: junctim legantur apud *Binium*, *Longum*, & alios. 3. *Clarendonenſe* ſub *Henrico* 2°, præſidente regis juſſu *Johanne* de Oxonio. In hoc ſtabiliuntur 16 capitula conſuetudinum *Anglicarum*, referente *Math. Paris*; quæ *Romanenſium* non fecerunt ad ſalivam, ut patet ex cenſuris [damnavit] & [toleravit] ſingulis à *Longo* annexis. 4. Concilium ſub *Edvardo* 6to, in quo 39 confeſſionis Anglicanæ articuli fuerunt concluſi, & confirmati. 5. Synodus ſub eodem, ubi liturgiam, quam habemus *Anglicanam*, à 7 Epiſcopis, & Doctoribus 4^r^ concinnatam, publico conſenſu Eccleſiæ ſtabilitam accepimus: quam (ut & articulos præcedentes) Principes inſequentes *Elizabetha*, *Jacobus*, & *Carolus*: expenſam, & ratam commendarunt

runt posteris. 6. Synodus *Londinensis*, in qua 141 constitutiones ad pium, & pacatum spectantes Ecclesiæ regimen, à convocatis Episcopis aliisque Ecclesiæ deputatis Regi *Jacobo* oblatæ, ipsius regali authoritate debito modo confirmantur. 7 Concilium *Perthense* in *Scotia*, ubi articuli de Eucharistia administranda ægrotantibus. 2. De Baptismo privato, si res ita tulerit. 3. De confirmatione. 4. De festis admittendis, & 5. De genuflexione in cœnæ perceptione (ringentibus licet sectariis) ut ritus venerandos, & retinendos probarunt. *Britannica* qui reconditiora expetit, celebris antiquitatis mystes *D. H. Spelman* affatim illi satisfacier. Extatque Synodi *Parthensis* plenior explicatio & defensio.

QUÆST

QUÆSTIONES.

An
1. *Concilia Nationalia magis obligent immediatè illius subditos, quàm generalia remotiora?*
2. *Posita Papæ infallibilitate opus sit aliquo concilio, præsertim Italico?*
3. *Zosimus, Bonifacius, & Cœlestinus fraudulenter canonem Nicæni primi Africanis obtruserint?*
4. *S. Augustinus. & alii in Carthaginensi Synodo 6ta dissentientes, exclusi morerentur à communione Romanæ Ecclesiæ?*
5. *Synodus Brixiensis jurepotuerit Papam deponere?*
6. *Generalis Concilii decreta à particulari quavis Synodo, sub quovis prætextu, possint abrogari?*
7. *Ritibus Ecclesicæ imperandis receptivam, non præceptivam authoritatem laici tantum obtineant?*

CAP

CAP. IX.

De *Colloquiis.*

1. *Colloquia Ecclesiastica* fuerunt habiti inter Theologos conventus; in quibus nil canonicè determinatur, sed dissentientium opiniones ad examen revocantur, & discutiuntur.

2. Idque vel
   1. Publicæ alicujus authoritatis dispositione.
   2. Privata Doctorum συνόδοις arbitraria.

3. Colloquia publica primæ classis fuerunt, vel cum
   1. Fratribus dissentientibus.
   2. Pontificiis.
   3. Lutheranis.
   4. Anabaptistis.
   5. Remonstrantibus.
   6. Anti-Trinitariis.
   7. Disciplinariis.

Ad

4. Ad fraternas componendas lites habebatur colloquium.

1. *Marpurgense* de tollendo dissidio Eucharistico. *Adamus vit. Germanorum Theolog. p.* 30. 1529.
2. *Spirense*, in quo nomen protestantium primo est auditum. *Alsted. Chron. p.*162. 1529.
3. *Smalchaldicum*, cui interfunt *Legati Britannici*, cum cœteris, ut fœdus inter reformatos sanciretur. *Id.* 1536.
4. *Interimisticum*, de pacificatione, in quo Augustæ liber scribitur conciliatorius, qui propter colloquentium scopum bellum excitavit adiaphoristicum, quod expiravit in formula Passavii. 1648.
5. *Altenburgense*, inter *Lutheranos* de justificatione. *Adamus p.* 613. ut actum postea inter eosdem in colloquio *Quedlingburgensi* de ubiquitate. *Ib.* 622. 1569. 1583.
6. *Torgense* de variis religionis articulis. *Ib. p.*649. Ut postea in colloquio *Bipontino. Ib.* 780. & *Badensi Ib.* 655. 1576. 1585. 1589.
7. *Hertzbergense* circa librum concordiæ. *Ib.*750. 1578.

1. *Wormatienſia* duo, 1um A. 1541. *Sleidan* ad illum an. *Adamus* p. 338. 2dum de variis religionis articulis A. 1557 *Adamus* p. 349.
2. *Ratisbonenſia* tria, 1m An. 1541. 2m 1546 de variis religionis articulis apud eoſdem. 3m De Judice controverſiarum A. 1601. quod plenè extat à pluribus vel probatum, vel exagitatum.
3. *Poſſiacenum*, An. 1561. de Eccleſiaſticis negotiis variis. *Sleidanus. Adamus.*
4. *Sangermananum*, eodem anno de rebus ejuſdem. *Adamus.*
5. *Mompelgardenſe*, de cæna & perſona Chriſti A. 1586 ubi *Beza* actor primipilus. proſtat integrè.

5. Colloquia cûm Pontificiis eminentiora circumferuntur.

6. *Oxonienſe*, in quo *Cranmerus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Latimerus Vigornienſis* Epiſcopus, & *Ridlæus Londinenſis*, pugilis veritatis infracti, martyrio comburenti ſunt affecti. *Fox Martyrolog.*
7. *Londinenſe* 1m tempore Reginæ *Mariæ*, in quo *Joh. Philpot* egregiè ſuas partes egit. 2m in principio regni *Elizabethæ*, ubi Papicolæ ad congreſſum (ut filii *Ephraim* armati) vocati, tantum non ridicule ſeſe dederunt. *Id.*

6. Inter

6. Inter *Calvinianos seu Zwinglianos* (ut loquuntur) & *Lutheranos* extat colloquium 1. *Maulbrunense* de cœna Domini, & Christi majestate. *Wittenbergense* inter *Urbanum Pierium, Hunnium* & alios *Lutheranos*. 3. *Francofurtense* procurante *Casimiro Palatino*. Alsted. 1561. 1593. 1577.

7. Colloquia cum *Anabaptistis* fanaticis, phreneticis enthysiastis referuntur ista **************************

8. Cum *Remonstrantibus*, instar omnium, est illud colloquium *Hagiense*; à diversis editum diversimode; cui prodroma fuit inter *Amesium* & *Grevinchovium* contestatio.

9, *Anti-Trinitarios* respiciunt colloquia 1. *Genevense Calvini* cùm *Serveto* **************************

10. Colloquia privata his possunt adjici 1. *Vinariense*, inter *Strigelium* & *Illyricum* de libero arbitrio *Adamus* p. 474. 2. *Argentoratense*, inter *Illyricum* & *Jacobum Andreæ* de peccato originis. 3. *Swalbacense*, inter *Pareinm*, & *Melhusium*, aliosque Jesuitas. 4. *Fontbellaqueense*, inter *Peronium* & *Du Plessis*. 5. *Parisiense*, inter *Du Moulin* & *Guntyer*. 6. *Fulconis*, *Hanmeri*, *Charci*, cum *Campiano* Jesuita. 7. *Rainoldi* cum *Harto* multiplici refertum eruditione; quibus cætera, quæ occurrunt in eodem genere, à studioso possunt adjici.

Gloria Patri & Filio & S.S.

In Syntagma Scholasticæ Theologiæ Index Mnemonicus.

PROOEMIUM.

De Theologia Scholastica ingenere. pag. 1.

Index Capitum.

1. DEO. pag. 4.
2. OPERIBUS IPSIUS. pag. 7.
3. PECCATO. pag. 11.
4. REDEMTIONE, in quo
   De Sect. 1ma 2da De LEGE. p. 15. SALVATORE. 20.
5. GRATIA. pag. 23.
6. SACRAMENTIS. pag. 27.
7. NOVISSIMIS. pag. 32.

INDEX

INDEX CAPITUM IN Synopsin Conciliorum.

1. De SYNODIS in genere. pag. 1.

De CONCILIIS
- 2. JUDAICIS. pag. 4.
- 3. APOSTOLICIS. pag. 8.
- 4. OECUMENICIS GRÆCIS. pag. 11.
- 5. OECUMENICIS LATINIS. pag. 20.
- 6. CONTROVERSIS. pag. 29.
- 7. REJECTIS. pag. 38.
- 8. NATIONALIBVS. pag. 47.

9. De COLLOQVIIS. pag 54.

Syllabus Conciliorum.

CAP. 2. De Conciliis Judaicis.

Talia fuêre, Conventus
- 1. *Sichemiticus*
- 2. *Hierosolymitanus* 1us
- 3. *Carmelitanus.*
- 4. *Hierosolymitanus* 2dus — pag. 5.
- 5. *Hierosolymitanus* 3tius
- 6. *Hierosolymitanus* 4tus
- 7. *Synodus, quæ dicitur Sapientum.* pag. 6.

CAP. 3. De Conciliis Apostolicis.

Hæc Concilia vulgo notantur:
1. *De surrogatione* Matthiæ *in locum* Judæ *proditoris*,
2. *De electione septem Diaconorum.*
3. *De lege ceremoniali non urgendâ.*
4. *De toleratione legalium ad tempus.*
5. *In quo* Symbolum *quod dicitur* Apostolicum, *mutuis Apostolorum operibus fertur esse constatum.* } 9.
6. *Quod obtrusit Ecclesiæ Canones 85 incertæ fidei, sub Apostolorum authoritate.*
7. *Antiochenum.*

CAP. 4. De Conciliis Oecumenicis Græcis, *sive* Orientalibus.

Horum insigniora fuêre:
1. *Nicænum* 1m pag. 12.
2. *Constantinopolitanum* 1m } pag. 13.
3. *Ephesinum* 1ma }
4. *Chalcedonense.* pag. 14.
5. *Constantinopolitanum* 2dum pag. 15.
6. *Constantinopolitanum* 3tium pag. 16.
7. *Nicænum* 2dum pag. 17.

CAP. 5. De Conciliis Oecumenicis Latinis, *seu* Occidentalibus.

Hæc Græcis statuuntur parallela:
1. *Ariminense.* pag. 20.
2. *Laterana* 4r. pag. 21. & 22.
3. *Lugdunensia* 2o. pag. 23. & 24.
4. *Viennense.* pag. 24.
5. *Florentinum.* pag. 25.
6. *Lateranense* 5tum } pag. 26.
7. *Tridentinum.* }

CAP.

CAP. 6. De Conciliis controverſis.

Cujuſmodi habeantur
1. *Conſtantinopolitanum* 4^tum pag. 29.
2. *Sardicenſe.* pag. 30.
3. *Syrminenſe* ſive *Syrmienſe.* pag. 31.
4. *Quinifextum.* pag. 32.
5. *Francofurtenſe.* pag. 33.
6. *Conſtantienſe.* pag. 34.
7. *Baſileenſe.* pag. 35.

CAP. 7. De Conciliis rejectis.

Hoc ſtigmate notantur præ cæteris
1. *Antiochenum.* pag. 38.
2. *Mediolanenſe.* pag. 39.
3. *Seleucienſe.* pag. 40.
4. *Epheſinum* 2^dum pag. 41.
5. *Conſtantinopolitanum* 2^x pag. 42.
6. *Piſanum* 1um. pag. 43.
7. *Pſanum* 2^dum. pag .44.

CAP. 8. De Conciliis nationalibus.

Hæc diſtribuuntur in
1. *Italica.* 2. *Hiſpanica.* pag. 48.
3. *Gallica.* 4. *Germanica.* pag. 49.
5. *Orientalia.* 6. *Africana.* pag. 50.
7. *Britannica.* pag. 51.

CAP.

CAP. 9. De Colloquiis.

Colloquia Ecclesiastica fuerunt conventus inter Theologos habiti vel,

1. Publicæ authoritatis dispositione, cujus classis ista fuêre cum

1. *Fratribus dissentientibus*, ad lites istorum componendas, viz.
   1. *Marpurgense.*
   2. *Spirense.*
   3. *Smalchaldicum*
   4. *Interimisticum.*
   5. *Altenburgense*
   6. *Torgense*
   7. *Hertzbergense.*
   pag. 55.

2. *Pontificiis* quorum eminentiora feruntur
   1. *Wormatiensia* 20
   2. *Ratisbonensia* 32
   3. *Possiacenum.*
   4. *Sangermananum.*
   5. *Mompelgardense.*
   6. *Oxoniense.*
   7. *Londinense.*
   pag. 56.

3. *Lutheranis, Calvinianis, Zwinglianis*; inter sese
   1. *Maulbrunense.*
   2. *Wittenbergense.*
   3. *Francofurtense.*
   pag. 57.

4. *Anabaptistis* **** ibid.

5. *Remonstrantibus*, instar horum omnium est illud *Hagiense* *** ibid.

6. *Anti-Trinitariis*, huc referend. 1 *Genevense* ** ibid.

7. *Disciplinariis.*

2. Privata Doctorum disceptatione arbitraria, quibus adjici possunt
   1. *Vinariense*
   2. *Argentoratense.*
   3. *Swalbacense.*
   4. *Montbellaqueense.*
   5. *Parisiense.*
   6. *Fulconis, Hammeri* &c. cum *Campanio* Jesuita.
   7. *Rainoldi* cum *Harto* **
   pag. 57.

FINIS.